DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA GERMANO-HISTORICO-CANONICO-PUBLICA DE

DIVERSARUM RELIGIONUM

in eodem Territorio TOLERANTIA AC RECEPTIONE GENERICA & SPECIALI,

Quam

AUSPICE DEO TER OPT. MAX.
ANNUENTE INCLYTO SENATU JURIDICO,
In Alma Julio-Fridericiana Wirceburgenſ. Univerſitate,
SUBJUNCTIS EX UNIVERSO JURE PARERGIS
PRÆSIDE
PRÆNOBILI, CLARISSIMO, & CONSULT. VIRO AC DOM.

D. JOANNE PETRO BANNIZA,
U. J. D. Reverendiſs. ac Celſiſs. S.R.I. Principis, Epiſcopi Bamberg. & Wirceburg. Franciæ Orient. Ducis Conſiliario Aulico, Ejusdémque in Alma Julio-Fridericiana Wirceburgenſium Univerſitate Juris Feudalis, Praxeos Supremorum Imperii Dicásteriorum, & Cancellariarum, uti & Praxeos Criminalis Professore Publico & Ordinario,

Tribus rigoroſis Examinibus ritè tentatus, & approbatus,

PRO SUPREMA DOCTORATUS IN UTROQUE JURE LAUREA.
Publicæ & impartiali Diſquiſitioni ſubjicit

JOANNES REMACLUS LÖE, Aſchaffenburg.
Eccleſiæ Collegiatæ ad Ss. Petrum & Alexandrum ibidem Canon. AA. LL. & Phil. Magiſter, U. J. Publici & Feudalis Candidatus Emerit.

IN AULA MAJORE ACADEMICA.

WIRCEBURGI, apud Philip. Wilhel. Fuckert, Bibliopolam Aulico Acad. 1739.

REVERENDISSIMO, EXCELLENTISSIMO
ATQUE
ILLUSTRISSIMO DOMINO

D. HUGONI
FRANCISCO CAROLO

S. R. I. Comiti ab Elz

Ecclesiæ Metropolitan. Mogunt. ac Trevir.

CANONICO CAPITULARI,

Cathedral. Mindens. & Abbatialis ad S. Petrum
in Tabolcza

PRÆPOSITO,

Eminentissimi & Celsiss. Elect. Mog.

VICARIO IN SPIRITUALIBUS
GENERALI,
CONSILIARIO INTIMO
ET
PRO-PRINCIPI in Eichsfeld &c. &c.

DOMINO, DOMINO SUO PERQUAM
GRATIOSO.

REVERENDISSIME, EXCELLENTISSIME,
ATQUE
ILLUSTRISSIME
S. R. I. COMES,
DOMINE, DOMINE
PERQUAM GRATIOSE!

EAciem Tuam, grandis animæ indicem, æri inciſam, mundi, & ſi affectum ſpectes, oculis ſiſto totius æternitatis. Habeant in illa & noſtra & futu-

ra tempora vivam virtutis, genuinam ſapientiæ imaginem, quam intueantur, mirentur, imitentur. Nempe gratitudinis hoc, & amoris ingenium eſt, ut Viros illuſtres, quos natura mortales genuit, artis beneficio poſteritati transmittat, in ejusdem vultu affectúque æternùm hæſuros. Hærebis & Tu *REVERENDISSIME ILLUSTRISSIME AC PERQUAM GRATIOSE DOMINE*, & dum poſteris vel in icone videberis, ſatis Tuam magnitudinem etiam muto ex ære loqueris. Grandis enim ille Tuus, tot, *ILLUSTRISSIMORUM* Virorum, Majorum Tuorum tradux Spiritus Sémet, ſuáque decora vivis in Tua facie coloribus depingit. Ecquid loquitur illud exporrectæ frontis jubar, niſi dignam Magno Viro Clementiam, Comitatem et-

iam

iam in infimos ſingularem ? quid magnifica illa oculorum acies , niſi pellucidam in penetrandis rerum Divinarum atque humanarum myſteriis Perſpicaciam, limati judicii in ferendis pro Patriæ felicitate Conſiliis Serenitatem, fortem in bene cæptis alacrémque Conſtantiam ? quid denique totus ille, neſcio, quam ſpectantibus Tui venerationem, amorem, & reverentiam afflans, oris vultûsque ſplendor, niſi inſignem in ſuperos Pietatem, flagrantem Religionis Zelum, ſacros in promovenda Dei gloria ardores , ac cæleſte quoddam ſtudium augendi , (*ut Vicarium in Spiritualibus generalem* decet) novis in-dies ſplendoribus decorem Domûs Dei , non tam in ſaxis & pretioſa ſupellectile, quàm doctrinâ, eruditione, & ſanctimonia Cleri, qui præcipuus Eccleſiæ flos eſt, & agni corona. Raræ

dotes! quas vel natura, vel gratia parcè, & in pluribus ſingulas partiuntur, omnes in Te uno collectas *Eminentiſſimus Elector & Archi-Epiſcopus Noſter*, *Magnus Tuus Patruus* ſuſpicit, Patria veneratur. Pulchri colores! quibus ad vivum expreſſus hæres in oculis, magis in corde aulæ, Urbis, & Patriæ, communis omnium, ſed vel maximè Clientum tuorum amor. *Patere* ergo *REVERENDISSIME, ILLUSTRISSIME, AC PERQUAM GRATIOSE DOMINE!* ùt hoc Virtutum ectypon theſibus meis de *Tolerantia diverſarum Religionum &c.* præfixum in Sinu tuo deponam; útque, titubantem ſub Legum Imperii fundamentalium pondere hanc Juſtitiæ, Religionisque lancem ſimul appendere, innata *permittat* Clementia, ad ſolam exilis pagella mea prævie de *Lege permittente* differens appellat

lat *Legem permittentem.* Solent namque ex grasâ *permisſione* Clientes Mœcenatibus ſuis ſe, ſuáque ſtudia ccu debitæ pignus gratitudinis ad pedes inclinare; ſed quia hæc minora in me cerno, quam ut ampliſſimis tuis Gratiis, maximísque in me, meósque cumulatis favoribus vel è longinquo reſpondeant, his omnibus *Te* ipſum addo; nihil enim *Te* dignius poteram reperire.

Accipe *Te* gratioſis, ùt ſoles, manibus; accipe quas tibi inſcripſi theſes, vel ex hoc *Te* dignum munus, quòd tuis Gratioſisſimis Auſpiciis, Magno tuo Nomine, Illuſtrisſima tua effigie lucem videat. Cape hoc debitæ gratitudinis, ſummæ in te obſervantiæ, perpetuíque ſervitii publicum, & æternum teſtimonium, quod dum Gratioſis

sis manibus tuis demisſimâ devotione offero, te totum tuis obſequiis dico & conſecro.

REVERENDISSIMÆ,
ILLUSTRISSIMÆ AC
PERQUAM GRATIOSÆ
DOMINATIONIS TUÆ

Servorum Infimus

Joannes Remaclus Löe.

PROSCENIUM.

ANtequam hac Disputatione potissimùm *de Tolerantia ac Receptione diversarum Religionum in eodem Territorio tum generali tum speciali*, ac quæ eò coincidunt agam, & ad penetralia teneræ hujus materiæ accedam, operæ pretium existimo, si priùs in *juris Permittentis* indolem & naturam accuratiùs inquisitum fuerit, quia tradente Bartholo *ad L.* 1. *ff. si cert. pet.* nonnisi cognitis generalioribus ad specialem cognitionem perve-

niri poteſt. Duo igitur præſentis Diſſertationis erunt capita : Primum in pertractanda *legis permittentis in genere natura*, *objecto*, *ac diviſionibus* occupabitur ; Secundum complectetur *in ſpecie*, quæ *ad Tolerantiam ac Receptionem diverſarum Religionum in eodem Territorio* referenda videbuntur.

Salebroſus non diffiteor in hanc materiam ingreſſus, in qua tot diverſiſſimorum juſtitiæ thematum anfractus, tot difficultatum ſcopuli ſuperandi, tòtque diverſæ opiniones ac mentes convincendæ coaleſcere videntur ; verumtamen aleam jaciendam ſtatui, ratus fordere lauream, quæ de facili venit ; ac vel id præcipuè in ſpem erigit, quòd

quòd hæc in lucem proditura lucubratio Lectorem repertura ſit rerum germanicarum conſcium, veritatis amantem, candidum & humanum, qui huic Academico ſpecimini, quod nemini officere, omnibus modeſtiâ duce licitum eſſe dignoſcitur, id ipſum juris non partium ſtudio noverit impertiri, quod omnibus & ſingulis in eo aſſertum confido; nemini enim in eo quidquam vel ambitioſum, vel cuiquam odioſum occurſurum, ſed absque immaturo affectu Diſputationis thema demonſtratum, quantùm breve tempus *tolerare* poteſt *ſpero*, cùm meram *tolerantiam ſpiret.* Quid enim Imperantis Majeſtati decedit, quandò

leniori remedio ſuum finem aſſequitur, quem rigore juris tentato vix ac nè vix quidem conſequi ſæpè licet. Dabis proindè Lector Benevole mihi de recepto, quod comiter omnia colit, *Jure Permittente, atque Tolerantiâ* tractaturo, ſi minùs gratiam, at ſaltem veniam, quam nemo non meretur, qui quid agit, quod *jure permittente* conceditur; & nemo denegabit, qui humana ſingula etiam à ſe aliena non exiſtimaverit; cùm hìc Legum patriarum cultoribus veritatem potiùs, quàm earundem interpretem ſiſtere cum pace omnium & ſingulorum decreverim, ſpiritus nempè ubi vult, ſpiret.

DIS-

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA GERMANO-HISTORICO-CANONICO-PUBLICA

De

Tolerantia ac Receptione Diversarum Religionum

in eodem Territorio Genericâ & Speciali.

CAPUT I.

De Tolerantiâ, sivè Lege permittente in genere.

§. I.

NOmen *permissionis* quod in nostro hic sensu cum nomine *receptionis* vix non idem est, variè accipi potest, nam quædam dicitur permissio facti, quæ consistit in mera negatione impedimenti vel operis, quo possit efficaciter pediri actio alterius, seu quando hoc *Homonymia permissionis evolvitur.*

vel illud non impedio, quod impedire possum, licèt non tenear, & talis est permissio, quâ Deus peccata permittit, quia licèt possit impedire de facto, ne fiant, non impedit tamen, nec vult impedire, sed permittere, ut fiant; ita & leges consensu vel authoritate recipiuntur, quarum summa sæpè injuriam portat, ut axioma commune asserit. Dixi: *quo possit efficaciter impediri.* Quia quandoque λὴ *permissio* valde abusivè sumitur, uti, cùm jocanpo dicimus: *permitto, ut pluat.*

Quotuplex sit permissio?

Quædam est permissio juris, quæ consistit in negatione prohibitionis; & hæc duplex est: alia *negativa*, & consistit in mera negatione præcepti & prohibitionis, quando non præcipitur, nec prohibetur, quod per se malum non est, neque ut tale prohiberi potest, qualiter permissi dici possunt actus indifferentes ut tales, vel saltem quando lex præcisivè se habet, actum tamen non facit honestum, licitum aut impunibilem; quæ proinde & consensu & usu recipiuntur. Quemadmodum ante LEGEM POMPEJAM nulla de parricidio lege cautum fuit, ob id tamen occidere parentes licitum vel impune fuisse, non est credendum. Alia est *positiva*, quæ firmatur aliquo decreto vel voluntate Legislatoris; hujusmodi permissio subdividitur primò in *potestativam*, quando Legislator permittit actum jure naturæ quidem liberum, per jus tamen positivum impedibilem, dando jus eundem liberè ac licitè exercendi, uti Jus Gentium mihi permittit capere feram. Sic & Lex 12. Tab. permisit cuilibet Civi Romano Patri-fam. testa-

Quomodo Permissio positiva subdividatur.

Declaratur exemplis,

testamenti factionem, & ut Parentes possint testamento liberis suis impuberibus dare Tutores. 2d5 in *purè permissivam*, quæ est circa actus illicitos, per quam conceditur tantùm impunitas inter homines, & alio nomine vocatur *permissio impunitatis*; veluti quando Lex 12. Tab. permittit occidi furem nocturnum, atque hæc indulgeri quandoque potest propter spem majoris boni, quomodo Ecclesia permittit Judæos vivere suis ritibus, quia sperantur eò facilius ad religionem Christianam traducendi. (a) vel ad evitandum majus malum, sicut de Jure Civili fuit permissus Concubinatus. His addunt multi Theologi permissionem *dispensativam* etiam quoad culpam, & hujus exemplum constituunt in polygamia in lege veteri Patriarchis indulta. P. Krimer superaddit (b) permissionem *coadjuvantem*, cujusmodi nominat illam, quâ Ecclesia permittit Clericum plecti justè à Judice Laico, eum degradando. (c)

(a) Can. Qui sincera. 3. Dist. 45.
(b) Tom. I. d. Canon. tit. 2.
(c) Juxta Canon. Degradatio. de pœnitent. in 6.

§. II.

PErmissio simpliciter posita intelligitur plerumque de actibus malis vel saltem indifferentibus maximè quando Deo tribuitur, quandoque tamen etiam in bonam partem accipitur, prout

Quo sensu in textibus accipiendum verbum Permissionis?

prout ſumpſit Apoſtolus (a) inquiens: *Hoc autem dico ſecundùm indulgentiam, non ſecundùm Imperium.* id eſt: permittendo, non præcipiendo; loquitur autem de actu matrimonii, qui malus non eſt. Interdum vice verſa verbô *præcipere* permiſſio ſignificatur, ut in text. (b) ibi: *Qui caſu partem digiti ſibi abſciderunt, aut aliquid facientes ſe non ſpontè percuſſerunt, Canones NB. præcipiunt Clericos fieri, & ſi in Clero fuerint reperti, non abjici* Quod Gloſſa interpretatur per λὴ *permittunt*, atque ita accipi debere probat ratio ſubjecta, ſcilicet: *in iſtis caſus veniam meruit.* Eodem modo locus (c) in quo dicitur: *Apoſtolos præcepiſſe ſecundas nuptias propter incontinentiam hominum*, explicandus eſt de permiſſione; certum ſiquidem, ſecundas nuptias non præcipi, cùm nemo ad illas obligetur, itaque rectè λὴ *præceptum* pro boni evenientis permiſſione interpretamur, neque enim ſecundis nuptiis labes aut malitia ineſt, id quod illud S. Hieronymi oſtendit, (d) *Ego nunc liberâ voce proclamo: non damnari in Eccleſiâ bigamiam, imò nec trigamiam, & ita licere quinto, & ſexto, & ultra, quomodo & ſecundo marito nubere.* Poſt que, λὴ *recepta* idem ſupponit, nempe rem tolerandam uſu aut conſenſu recipere.

(a) I. ad Corinth. 7.
(b) Can. Qui partem. 6. Diſt. 55.
(c) in Can. Hac ratione. 9. Cauſ. XXXI. q. I.
(d) Can. Aperiant. Cauſ. XXXI. q. I.

§. III.

§. III.

PErmissio purè negativa præcepti affirmativi vel negativi non cadit sub Legem propriè permissivam, quia 1mo, ad inducendam negationem præcepti frustra esset ferre aliquam legem; satis enim est, non existere legem prohibentem. 2dò, Hæc pura omissio prohibitionis vel præcepti est carentia juris: ergò lex volens talem permissionem, intenderet carentiam juris, adeoque nec ipsa posset esse lex, nec jus faceret. Ut enim lex ferri possit, necesse est, ut ejus effectus sit in potestate legislatoris; at verò actus permissionis purè negativæ, qui non possunt prohiberi vel præcipi, non sunt in potestate Legislatoris; per consequens nec super illis ferri potest lex, eò quòd non dependeant à voluntate Legislatoris etiam indirectâ, sed ex se sint tales. 3tiò, Ejusmodi negatio legis nullam propriè habet causam, sed ex se talis actus eô ipsô est permissus, dum non prohibetur; sicuti negatio essendi, quæ intelligitur in re possibili nunquam futura, non ex Deo, sed ex se habet, quod sit nihil, quia illa nihil est, nisi creetur (a), ita etiam actus ex eo præcisè, quòd non prohibetur, nec præcipitur per legem, non habet à lege, quod sit permissus, sed id habet ex se, & idem ex se habet quod non recipiatur.

Permissio purè negativa præcepti affirmativi vel negativi non cadit sub legem propriè permissivam.

Ratio 1ma.

Ratio 2da.

Ratio 3tia desumitur à paritate.

(a) Conf. P. Hörmonseder. in Theolog. natur. q. 43. de Ente possibili.

§. IV.

Ad legem proprè permittentem requiritur positiva voluntas Legislatoris.

RECTÈ igitur censuit FABRI (a) illas esse leges proprièe permissivas, quæ dant facultatem quid agendi, aut saltem impunitatem exercendi actiones, quæ aliàs fieri non possent, nisi permitterentur. Itaque requiritur ut id genus permissionis firmetur Decreto aliquo positivo & voluntate Legislatoris. (b) Et de tali lege ferè prædicatur illud, quod notat. FABRI cit. loc. ibi: *cùm lex aliquid permittit* (scilicet positivè) *imperat.* permittit enim imperando, prout Paulus JCtus diserte respondit: (c) Legem *Falcidiam esse latam, quæ primo capite liberam legandi facultatem dederit usque ad dodrantem.* Jam verò dare est actus positivus, qui ex nuda negatione sequi non potest; attamen lex Falcidia non est præceptiva directè, ut enim talis esset, deberet obligare illum, ad quem dirigitur, quod non facit Lex Falcidia in d. primo capite; quia nemo eodem jubetur legata relinquere, aut pro Legatariis dodrantem bonorum assignare, sed cuilibet intra dodrantem legandi libera facultas relicta est. Atque id ipsum negationi nequit attribui tanquam à permissione toto, quod ajunt, cælo distinctæ, prout colligitur ex Ulpiani verbis: (d) *Quæ clausula non illud pollicetur restituturum, si leges permittant; sed si leges non prohibeant.* Quæ satis innuunt, aliud esse permittere, aliud non prohibere. Hinc etiam

deducit

deducit FABRI ad d. Legem brocardicon illud: *Omnia illa sunt per legem permissa, quæ non inveniuntur prohibita*, verùm quidem esse in legibus prohibitivis, quas ferri necesse est circa res cæteroquin permissas, non etiam in permissivis, quæ feruntur super rebus, quas alioquin facere non liceret: & exemplum ponit in legibus latis circa hæreditates sive testamentarias, sive legitimas, *Instit. quib. non est permiss. condere testam.* quoad has, inquit, obtinere regulam: *Quidquid permissum non est, perinde illicitum esse, acsi esset prohibitum*; eò quòd nulla prohibitione sit opus, ubi sufficit non permissio. Sic itaque si quæratur, cur hodie naturales non possint hæredes instituti extra casum *L. fin. Cod. de natural. lib.* nec succedere ab intestato extra casum *Auth. Licet. Cod. eod.* neque rursus deportati, peregrini, & similes? non convenit respondere: quia sunt prohibiti, sed quia non sunt permissi. Ità Laudatus FABRI:

Sensus Axiomatis: Ea esse permissa, quæ non sunt prohibita?

(a) ad L. 7. ff. de LL.
(b) Suarez de LL. Lib. I. cap. 15. num. 8.
(c) in L. 1. ff. ad L. Falcid.
(d) in L. 28. §. quod ejus. 2. ff. quib. ex caus. maj. in integr.

§. V.

DUbium videri posset: an ejusmodi dispositio Legislatoris actum permittentis inter species legis collocari possit? cùm effectus cujuscunque

An Lex positivè permittens sit Lex propriè dicta?

adeoque pro recepta habenda.

cunque legis in eo consistat, ut inducat obligationem, ideoque pro recepta aut recipienda habeatur, hic autem effectus quasi repugnet Dispositioni Permissivæ. Accedit, quod Lex debeat esse regula actuum justorum; actus verò qui fiunt juxta legem permittentem non sint justi; quis enim usuras lucratorias, concubinatum, cædem filiæ adulteræ cum adultero à patre factam dixerit esse actus justos? At cùm Modestinus (a) perindè legis virtutem in eo, quod permittit, statuat, sicut eidem attribuit, *imperare*, *vetare*, *& punire*; per consequens inferre licet, quòd sicut in reliquas species Lex dividi potest, ità etiam dispositio legis, per quam permissio conceditur, rectè inter species legis referatur. Et verò tametsi lex permittens non obliget eum, cui favet, obligat tamen tum judices, ne in illum, qui actum à lege permissum exercet, animadvertant, tum reliquos, ne quenquam actum à lege permissum exercere volentem impediant, quem effectum quoque consequitur is, qui facit actum in se bonum lege facultatem ejus exercendi concedente, quod tamen intelligendum de illis, qui permittentis sunt subditi; aliàs enim eos lege sua alteri quid permittente non posset obligare, cùm nulla detur jurisdictio in non subditum.

Quid sufficiat ad rationem Legis?

Sufficit igitur ad rationem legis, quòd leges permittentes habeant latenter admixta præcepta, sine quibus non posset intelligi permissio, ùt specialiter decreta

creta per Legem. Nec refert, quòd hujusmodi Leges non ferantur per verba præceptiva ſatis enim eſt ea ſubintelligi. Sicut nec ob id minùs juſtæ ſunt, quòd earum objectum remotum ſit actus malus; ſiquidem materia earum proxima ſcilicet permiſſio, mala & injuſta non eſt, cùm honeſtum ſit minus malum permittere, ut majus evitetur.

Dixi: Objectum remotum eſſe actum malum, puta ùt operabilis eſt, non autem ſub ratione permiſſibilis. (b) Neque dixeris: Peccatum eſſe effectum Legis permittentis, quòd eam ſequatur executio peccati permiſſi, quia tametſi Lex præcipiens, vel prohibens malum per ſe quoque influat in actum bonum, vel omiſſionem mali, hoc enim eò fit, quòd utraque quantum poteſt inducendo per ſe intendat poſitionem boni, vel omiſſionem mali; aliud tamen eſt in Lege permittente, quia illa nec intendit peccatum, nec illud inducit poſitivè, nec præbet activam occaſionem illius, ſed impedit majora mala.

Objectum Legis permittentis malum non eſt.

(a) in L. 7. ff. de LL.
(b) Suarez in Tract. de LL. L. 1. cap. 9. num. 6.

§. VI.

HAnc permiſſionem, quæ *impunitatis* vocatur PUFFENDORFF. (a) permiſſionem minus plenam nuncupat, vi cujus actus tantum agenti tranſit impunitus; illam verò quæ liberam & hone-

Diſtinctio Puffendorffii inter Permiſſionem plenam, & minùs plenam.

Probatur & aliis Authoritatibus

honestam pro utroque foro licentiam agendi tribuit, Legem permissivam plenam appellat. Neque hæc Legis permissivæ divisio caret authoritate, nam D. THOMAS (b) inter varios permissionis modos reponit & illum, quo minus bonum relicto meliori permittitur; prout matrimonium respectu Virginitatis, cujus status est melior, permittitur, quod de Permissione merè negativa intelligi non potest, siquidem Lex non tantùm non illud prohibet, sed dat positivam facultatem, seu jus ad illud non nisi propriæ voluntatis electione adimendum, multisque condecorat prærogativis. Confirmatur id quoque authoritate ISIDORI, qui de Lege permittente sic ait: (c) *Omnis Lex aut permittit aliquid; ut vir fortis præmium petat, aut vetat &c.* præmium verò non petitur, nisi ob rem bene & laudabiliter gestam, eámque petitionem Lex non tantùm negative permittit, sed dat operanti speciale jus ad postulandum tale præmium, ad cujus consequendi spem vigore virtualis promissionis Lex virum bene meritum exstimulat, & simul imperium in Republica obtinentem obligat ad dandum tale præmium viro forti, quando secundùm Legem petit, & nihil adest, quod rationabiliter impediat. Atque hoc modo inquit SUAREZ, Lex concedens favorem, quando non præcipit illum acceptare, sed in operantis arbitrio relinquit, eo uti, vel non uti, permissiva dicitur, quamvis non tantùm negativè

Matrimonium quomodo dicatur permissum?

disponat,

disponat, sed aliquid positivè concedat. Rectè igitur Lex permissiva in plenam & minùs plenam dividi potest, sive in eam, quæ est simul concessiva *liceitatis* actûs; & in illam, quæ tantum *impunitatis* est. *Admittitur distinctio Pufendorffii.*

(a) De Jur. Nat. & Gent. Lib. 1. cap. 5.
(b) in 4. Dist. 33. q. 21. art. 2. (c) Dist. 3. Can. 4.

§. VII.

APparet ex Dictis; objectum remotum Legis permittentis in posteriore significatu acceptæ esse actus in se vitiosos, qui tamen partim intuitu humanæ fragilitatis, vel ob bonum commune societatis humanæ impuniti relinquuntur, ac propterea tales actus quandoque in jure civili dicuntur liciti; (a) unde HUGO GROTIUS, dupliciter aliquid licere indigitat, (b) *primò*: *Quod rectum ex omni parte piúmque est, etiamsi quid fieri possit fortè laudabilius; alterum, quod salva pietate & officiorum regulis fieri non potest, sed quod apud homines pœnæ non subjacet.* Atque eodem sensu locutus est Cicero pro Cornelio Balbo: *Est aliquid, quod non oporteat, tametsi licet; quidquid verò non licet, certè non oportet.* Quamvis ad hunc sensum licitum capiatur minus propriè, quia, quod ita licitum dicitur, ipsis veræ justitiæ regulis adversatur, vel saltem non ex asse convenit, & Leges humanæ, per quas liceret actus hujusmodi, neminem in foro *Actus permissi in jure sapè confunduntur cum licitis.* *Dupliciter aliquid licere dicitur.*

conscien-

conſcientiæ ſecurum reddunt. Nec unquam potuerunt jura Civilia immunem culpâ præſtare agentem actum per ſe malum, ſed ad ſummum potuerunt non admittere contra illam accuſationem, aut litem, aut pœnam. Unde hanc inter Legem *diſponentem* ac *permittentem* differentiam ſtatuunt DDres, quòd illa, ſi ſit juſta in foro externo, ſit & juſta in foro interno, adeoque in foro Poli præſtet ſecuritatem, niſi ſit lata ex præſumtione, quæ in foro interno ceſſaret; hæc verò hunc effectum non operetur.

Differentia inter Legem diſponentem, ac permittentem.

(a) in L. 42. ff. de R. J. ibi: in conjunctionibus non ſolùm, quid liceat, conſiderandum, ſed & quid honeſtum ſit.

(b) De Jur. B. & P. lib. 3. cap 4.

§. VIII.

Sola honeſtas Legalis pro foro poli non ſufficit

AT quomodo, inquies, conveniunt hæc cum effato Juris-Conſulti: (a) *Juſtitiam colimus, licitum ab illicito diſcernentes, bonos non ſolùm metu pœnarum, ſed etiam præmiorum exhortatione efficere cupientes.* Reſp. Hæc omninò non pugnant Verum enim eſt, quod Juris-prudentia Civilis intendat bonos facere juſtitiâ & bonitate legali, quæ eſt virtus inclinans ad obſervantiam omnium Legum in ea republica, in qua quis degit, ad ſalutem publicam ordinatarum; non item bonitate, quæ inclinet ad inducendam conformitatem cum omnibus Legibus Divinis etiam circa actus merè internos verſantibus;

Jurisprudentia Civilis intendit facere bonum Civem.

An etiam bonum virum?

ſantibus, ad quos juſtitia Legalis, quæ eſt finis Jurisprudentiæ civilis, ſe non extendit, quia nec poteſt judicare de internis, qua ratione dixit Ulpianus: (b) *cogitationis pœnam nemo patitur.* Proindeque tantùm reſpicit illos actus, qui ex mente Legislatoris ordinantur ad tranquillitatem publicam, adeoque multa diſſimulat ac tolerat, ac tolerando recipit quæ juſtitiæ, Univerſali repugnant, uti ſunt: concubinatus, uſuræ lucratoriæ, præſcriptio cum mala fide &c. non alio ex fine, quàm quòd Legislator ea, quæ ad juſtitiam univerſalem pertinent, ad obtinendum ſuum finem ultimum, qui eſt ſalus reipublicæ, in Leges præceptivas redigi non judicàrit eſſe neceſſarium.

(a) L. 1. ff. de Juſt. & Jur.

(b) L. 18. ff. de pœnis.

Ex dictis non obſcurè deducitur Juris Permittentis, conſequenter & Recipientis neceſſitas, de cujus nimirum Legis permittentis *in genere* ſpectata *naturâ*, *definitione*, *diviſione*, *objecto*, & *effectibus*, ſatis, ut opinor, in hoc Cap. per octo §§. actum eſt. Nunc tandem in altero Cap. ac ſequentibus triginta tribus §§. ea, quæ, quid *in ſpecie de Diverſarum Religionum Tolerantiâ ac receptione in eodem territorio* ſalvo cujuscunque jure, nec non juſto & æquo ſalvo veraciter ſtatuendum, & candidè ſentiendum ſit, innuere poſſunt, quantum fieri poteſt, breviſſimè perſequar, hoc ut exequar, ſit. *Tranſito ad cap. 2.*

C CAPUT II.

CAPUT II.

De Tolerantia ac Receptione in ſpecie Diverſarum Religionum in eodem Territorio.

§. I.

Aſſeritur, de regula prudentiæ & de antiquo jure non niſi unam religionem eſſe fovendam.

QUanquam in aprico ſit, quòd ſanior Politia pluralitatem Religionum in Rèpublica non facile debeat, aut poſſit admittere, ſed omni ſtudio ante omnia conandum ſit, ut vera, eaque unica Religio, & unanimis recte Deum colendi formula ſarta tecta ſervetur, quò diſſenſionum & motuum civilium omnis anſa præcludatur, quas nulla magis fax accendit, quàm Religionis diverſitas, unde Civitates concuti, & lacerari regna neceſſe contingit, dum quisque pro Religione ſua movetur, & movet; nihilominùs tamen dantur quoque rationes, quæ plurium Religionum in una Civitate permiſſionem & receptionem exigant; cujusmodi foret, ſi plus mali ex eliminatione, quàm ex earum tolerantia ſecuturum prudenter prævideretur; tunc enim veræ politicæ regulis conſentaneum, ex duobus malis minus eligere.

Poſſe tamen exigentibus circumſtantiis in eodem Territorio unam ſequi, & unam alteramve tolerari.

Tranſactio Paſſav. & Pax Relig. rationabiliter inita.

Non igitur ſine ratione primùm quidem Carolus V. & Ferdinandus I. Cæſares cum Statibus Proteſtantibus Tranſactionem Paſſavienſem, & Anno 1555. Pacem Religioſam Auguſtæ Vindelicorum

licorum concluserunt, quemadmodum Ferdinandus III. Imperator post tot annorum bella, & vastatam penitus Germaniam, ad avertendam hanc ærumnosam sortem, pacem vidit necessariam, licet pœnitendam. Confecta est ea die 10. Junii, Anni 1648. Cum Rege Galliæ Monasterii Westphalorum, Romano Pontifice, & Veneris intercedentibus; cum Suecis verò Osnabrugæ, Cæsare & Imperio coactis cedere exteris hostibus Sueco & Gallo post tricennale bellum tot urbes, ditiones, & vix non integras provincias, cum gravissimâ circa Antiquam Religionem immutatione. Sunt quidem, qui remissius egisse Carolum V. arguant, utpote qui Lutherum, cum sub publica fide in Wormatiensem confessum venisset, intactum dimiserit, & armis fractos Protestantium Duces Clementius habuerit, sed petulantis calumniæ potius arguendos censeo ignaros rerum illos, qui nascentia tunc mala reipublicæ extinguere quasi per mollitiem neglecta, increpare contendunt; at ignaris rerum proclive est inconsulta loqui. Viderat etenim Princeps ille & sapientissimus, nec non Antiquæ Religionis fidelis ac strenuus assertor non omnia, quæ cum justitia vellemus, pari felicitate terminari. Terruerat exemplum damnati per Constantiense Concilium Joannis Hussi, & quòd millium sanguine hujus combusti cineribus fuerit parentatum, nec componi potuisse tantos motus, priusquam Concilium Basilien-

Ubi quibus cum & quibus intercedentibus confecta sit Pax Westphalica?

Carol. V. ab ignaris rerum immeritò traducitur;

Aquorum assertione & somniis vindicatur.

In quo tamen fortè culpandus?

se non flammis, sed lenitate efferatos mitigâsset. Et si quæ ejus culpanda foret actio, esset ea fortasse, quòd fuso Joanne Friderico Saxoniæ Electore, captóque Philippo Hassiæ Landgravio, quasi nimium securus militem omnem dimiserit, ut Oeniponte sedens enermis eventum Tridentini Concilii expectaret, nec non Mauritio Joannis Friderico Agnato, in quem Electoratum Saxoniæ transferebat, gerendi contra Magdeburgenses belli summam minus cautè commiserit.

Mauritii Electoris contra Cæsarem molitiones.

At verò quis divinâsset Augur, Mauritium tam recenti Electoralis in se dignitatis beneficio devinctum, ex fidissimo Cæsarearum Partium Duce acerrimum mox hostem evasurum? cum Rege Galliarum Henrico I. (alii melius scribunt Henricum II.) coiturum in fœdera? & eodem, quo indictum est die, imparato Cæsari ac Domino suo inauspicata proprio adjuncto milite arma illaturum? Ast hæ vicissitudines fuére rerum humanarum, nec semper providum esse, & sapere ulli mortalium concedunt. Quocúnque demum modo factum sit, verè dici potest, victoria & occasione tunc gnaviter usos fuisse Protestantes, ubi ancipiti bello, & à vicinis naufragante Antiquâ Religione in Germania, tabulas regionum piscari solitis, & à diversis junctis exercitibus penè obrutum, ac circumventum Cæsarem ad pacis & compositionis consilia proniorem fecit præsentis imago periculi, & ipsi in secundis armorum suorum successibus spe consequendi

Quies publica Germaniæ est finis Pacis Religiosæ.

ſequendi ea, quæ alias ab armato fruſtra exſpectâſſent, confidentiùs, quæ cuperent, in Pacis articulos referebant. Et verò metam votorum ſuorum ſunt aſſecuti liberationem duorum Captivorum Joannis Friderici, & Philippi Haſſiæ Landgravii, liberam religionis ſuæ exercendæ facultatem, eorumque bonorum Eccleſiaſticorum, quæ ad immediatos Imperii Status non pertinent, neque ad Eccleſiaſticos tempore factæ Transactionis pertinuiſſent, retentionem, Juriſdictionis Eccleſiaſticæ, ſalvo tamen decimarum, Cenſuum & Feudorum jure, erga ſe, ſuósque Auguſtanæ Confeſſioni addictos ſuſpenſionem usque ad finalem Religionis compoſitionem, ſive per generale, ſive per nationale Concilium adnitente Cæſare procurandam. Catholicis verò præter cautionem mutuam de non offendendo, & reſtitutionem eorum, quæ per iſtos motus amiſerant, præſtitam, nec non Reſervatum Eccleſiaſticum: vulgò dicitur **der Geiſtliche Vorbehalt** (quem articulum Ferdinandus I. ex poteſtatis plenitudine decidit) nihil favoris tributum eſt. Hæc ſumma Transacti Paſſavienſis per Receſſum Imperii Auguſtanum, qui Religioſæ Pacis nomen habet, confirmati; ſed cùm his non acquieſcerent Proteſtantes, & ſub Reformationis titulo plùs ultra hinc indè progrederentur, & quotidianis Catholicorum querelis aures Cæſaris Ferdinandi II. fatigarentur, is confecto bello Bohemico Victor, adeoque jam liberior

Proteſtantium ad Concilium generale, vel nationale provocatio.

Querela Catholico adversùs Proteſtantes de fracta pace religioſa.

berior ſibi Pacis Religioſæ interpretandæ Imperatorium ſumpſit arbitrium, promulgato de reſtituendis bonis Eccleſiaſticis poſt Paſſavienſem Transactionem ademptis, quod tricennalis belli potiſſima cauſa fuit; ut & ipſum, poſtquam Suecorum contra Cæſarem copiis Auguſtanæ Confeſſioni Addicti per Germaniam ſeſe conjunxiſſent, & poſt Nordlingenſem cladem Suecis vix non exitioſam etiam Galli acceſſiſſent, Cæſaris & Catholicorum non minùs, quàm Auguſtanæ Confeſſioni addictorum vires vehementer attrivit, donec & hos & illos tam diuturni belli, quo nihil aliud agi videbant, niſi ut invitati hoſpites Germaniæ jugum imponerent, pertæſos Pax Osnabrugo-Monaſterienſis rurſus univiſſet, ſed conditionibus ex parte Catholicorum multò, quàm ante durioribus, cùm non tantum bona, quæ Proteſtantes poſt Pacem Religioſam occupârunt, tum immediata, (a) tum mediata, (b) in eorum manibus permanſére, termino reſtitutionis in Eccleſiaſticis, & quæ intuitu eorum in politicis mutata ſunt, in diem primam Januarii Anni ſupra milleſimum ſexcenteſimum vigeſimi quarti rejecto. In quorum numero fuére Archi-Epiſcopatus duo: *Magdeburgicus & Bremenſis* in formam Ducatuum redacti. Epiſcopatus ſex: *Verdenſis*, *Halberſtadienſis*, *Mindenſis*, *Caminenſis*, *Suerinenſis*, *Ratzeburgenſis* dicta Pace quoque ſæcularizati, in quam ſortem pariter venit Abbatia Hirsfeldenſis

Regis Sueciæ ad partes Proteſtantium acceſſio.

Rex Galliæ contra Cæſarem.

Annus Decretorius, ſive reſtitutionis & reſpectivè retentionis bonorum Eccleſiaſticorum normalis 1624. d. 1. Jan.

denſis Domui Haſſiacæ Caſſelenſi ſub Principatûs titulo relicta, præter quinque alios Epiſcopatus jam ante ab Antiqua, & Chriſtiano-Catholicâ Eccleſiâ tractos ad fiſcum, quorum in Saxonia tres: nimirùm *Misnenſis*, *Merſeburgenſis*, *& Numburgenſis*; In Marchia duo: ſcilicet *Havelbergenſis*, & *Lebuſienſis* recenſentur, cum innumeris ſparſim Abbatiis, Prælaturis, Monaſteriis &c. (c)

(a) Inſtr. Pac. Weſtph. §. Bona Eccleſiaſtica 14. Art. 5.
(b) Cit. Art. 5. I. P. W. §. 25. & 26.
(c) Gotthelff. Strüv. Syntagm. Jur. Publ. cap. 18. §. 16.

§. II.

POſt hæc vigore Transactionis Paſſavienſis, & ſubſecutæ ita dictæ Pacis Religioſæ duntaxat Antiqua Romano-Catholica Religio, & ea, quæ Auguſtanæ Confeſſionis nomen ſibi indiderat, in Imperio Romano-Germanico exerceri poterant. Pax verò Osnabrugenſis (a) Succis inter reliquas conditiones Pacis ita deſiderantibus etiam tertiam adjunxit, videlicet Reformatorum ſic dictam, à Calvino conceptam cum Proteſtantibus aliis exæquatam, ita ut quidquid juris aut beneficii, tum Pax Religionis, & Weſtphalica cæteris Catholicis, & Auguſtanæ Confeſſioni addictis Statibus, & ſubditis tribuunt, id etiam ſic dictis Reformatis competere debere receptum venieret; & quia Aug. Conf. addicti jus reformandi plenum Reformatis controverſum fecerant,

In Imperio Romano-Germanico exercitium primò duarum; Deinde trium Religionum Lege publica ſtabilitum,

Sub certis tamen conditionibus.

rant, ratione hujus transactum reperitur, ut si quis Princeps, vel alius Territorii Dominus, vel alicujus Ecclesiæ Patronus posthac ad alterius Partis Sacra transiérit, aut ditionem aliquam, vel jure successionis, vel Pacis Westphalicæ, alióve titulo acquireret, posset quidem exercitium Religionis suæ citra subditorum onus, & præjudicium in residentia sua habere, non tamen ibidem immutare publicum prioris Religionis ad Annum Normalem exercitium, neque reditus prioribus adimere, & suorum sacrorum hominibus applicare, vel sub prætextu Juris Episcopalis, aut Patronatûs, subditis Ministros alterius Confessionis obtrudere.

(a) Instrum. Pacis Cæsareo - Suecicæ Osnabrug. Art. VII. *Unanimi quoque Cæsareæ Majestatis, omniúmque Ordinum Imperii consensu placuit, ut quidquid juris aut beneficii, tum omnes aliæ constitutiones Imperii, tum Pax Religionis, & publica hæc Transactio, in eaque decisio gravaminum, cæteris Catholicis, & Augustanæ Confessioni addictis Statibus & subditis tribuunt, id etiam iis, qui inter illos Reformati vocantur, competere debeat.*

§. III.

Imperator & Status Cath. immeritò traducuntur, quòd iniverint Transact. Passav. & R. W.

FUerunt tamen rerum ignari, qui non minus Transactionem Passaviensem, quàm Pacem Westphalicam acri stylo infectati sunt, quòd nempè Imperator & Catholici visi fuerint approbare ea, quæ Aug. & Reformatæ Conf. dogmatibus

tibus concedebantur, neque fas ajebant fuisse, Imperatorem ac Principes Imperii attribuere sibi potestatem in sacra, & bona Ecclesiastica sibi non competentem, eademque Aug. Confess. relinquendo, involare.

Verùm quàm immeritò Majestas Cæsarea, & Catholicæ Religionis Status utriusque Pacis nomine sic permittente Deo coarctati fuerint, nemo non eorum, qui istorum temporum, quibus utraque pax concluſa fuit, notitiam habuerit, facilè animadvertet. *Hos tractatus rationes ponderosissimas exigebant.*

A duobus potentissimis hostibus invadebatur Carolus, alter jam occupatis Alpum jugis imminebat cervicibus; alter ut omnes à Belgio suppetias arceret, Germaniæ sese visceribus cum validissimis copiis torrentis instar infuderat. Deerat miles, nummus, arma, commeatus, Vicini Protestantibus fœderati ab omni parte infesta moventes arma distractam urgebant Hispaniam, quò minus Principi periclitanti succurreret. Catholicorum in Germania nullus, qui vel copias mitteret, vel quas haberet, nè ipse domi obsideretur, ad justum exercitum contrahendum dimittere auderet. Si quid Copiarum Ferdinandus Frater in armis alebat, ex Hungariæ finibus adducere id perinde fuisset, ac vigilantibus ad invadendam Hungariam Christiani nominis hæreditariis inimicis Turcis nudum latus exponere. Viderint cuiquam prudens potuisset Carolus Imperator? si rerum statu tam *1ma Ratio est: quia Nervus bellorum gerendorum defuit Carolo V.*

turbido atque ambiguo inermis ipſe ſe ſuósque hoſtium enſibus objeciſſet, & non potiùs Pacem licèt duram ſuiſſet amplexus? ubi niſi hoc medium placuiſſet, & ſuam & Antiquæ Catholicæ Religionis incolumitatem in præceps dediſſet. Æquus rerum contemplator ex una parte hæc ponat ad itateram, in altera ponderet, quid pro pace redimenda admiſerit pientiſſimus Princeps; reliquit nempe, id unicè anhelantibus Proteſtantibus Confeſſionis novæ exercitium, reliquit ea bona, quæ jam occupaverant. Verbo: permiſit, uti ſanè res ipſa accipi debet, quod impedire amplius non poterat, id eſt: ſuo more circa normam credendi agere ſalvâ cæterùm per omnia Religione Catholicâ.

2da Ratio fuit, bonum proprium, & religionis.

Quid, quæsò, in eo mali eſt? multa facere malum eſt; ferre, cum mederi non poſſis, malum non eſt. Stat generalis concluſio: permittendum eſt minus malum, ut evitetur majus, quandò evitare utrumque non eſt poſſibile. (a) Mala facere, ut bonum eveniat, fateor, non licet: at pati, quæ prohiberi amplius non poſſunt, vetitum non reperio, multò minus alium rem agere ſinere, cum impedire non posſis. (b)

Minus malum permittendum, ad majus evitandum.

(a) Confer. ſupr. cap. 1. §. 5. circa fin.
(b) add. Becan. Lib. V. Manual. Controv. cap. 15. p. 719.

§. IV.

EAdem & longè gravior urſit ratio pro Ferdinando III. acceperat, uti compertum eſt, glorioſiſſimus hic Princeps à Patre unà cum ſceptro gla-

gladium, Imperium ſcilicet graviſſimis malis bellóque implicitum & cum externis & cum domeſticis hoſtibus, ſciſſum diſſenſionibus, tot belli cladibus lacerum, exterorum deſtitutum auxiliis, quin & inſidiis imminutum, ære, milite, imò & incolis aut fugâ dilapſis, aut cœdibus, inediâ, aut vario morborum genere confectis; exhauſtum jam torcular calcaverat, id eſt: molem belli ſuſtinuerat ſolus, omnibus aliis Catholicis Principibus aut gementibus, aut oneri imparibus. Illud ſupererat extremum, aut in Decretoriam certaminis aleam totam Antiquæ Chriſtianæ Religionis ſuámque fortunam conjicere, aut relinquendo Proteſtantibus ea, quæ poſt Pacem Religioſam occupaverant, de rerum ſummâ paciſci. Si prius libuiſſet, cadente infeliciter alea prælii, prædominante tot utique hoſtium numero, Catholica Religio luguberrimo & proximè obvio propinqua fuiſſet exitio; Si viciſſet, aut in ſolitudinem redigere debuiſſet Germaniam, ſi nullos pati voluiſſet Proteſtantes, aut ſi terram incolis non vacuam maluiſſet, quia jam altiores egerat radices Antiquæ Religionis tædium, avulſi Eccleſiarum theſauri & inveterata jam dum diſſentiendi libertas, quàm ut evelli poſſet, cum poſt omnia, tam n indulgendum id fuiſſet, propter quod, nè fieret, jam tot annorum bello fuerat decertatum. Bona profectò Eccleſiis adempta, & ab Aug. Conf. addictis jam tum occupata, quorum in iis tem-

Turbulentus Imperii Status ſub Ferdin. III.

Ejusdem motivæ ineundæ pacis.

porum circumſtantiis recuperatio difficillima, & vix non deſperata habebatur, tanti non fuére, ut propter ea vindicanda non tantùm Cæſar, & Catholici ſe totos in proximum, quod ſupererat præcipitium ſinerent agere, ſed & Avitam Religionem Catholicam totam in præſentiſſimum, & inevitabile adducerent periculum. Prudentis nempe eſt, ubi res integra ſervari non poteſt, operam dare, ut proſpiciatur incolumitati ejus, quod eſt principalius; ſic enim ubi quis de bonis fortunæ, ac de vita periclitatur, vitam redimit jacturâ bonorum; ſi alterum, id eſt: aut corporis, aut animæ ſalus naufragetur, ut animam ſalvet, corporis integritatem ac ſalutem prodigit. In dicta pace agebatur, aut de bonis quarundam Eccleſiarum, & Eccleſiaſticorum in Proteſtantium manibus relinquendis, aut de multis animarum millibus, quæ, ſi iidem armis ſuperiores manſiſſent, ad eorundem opiniones & ſacra pertrahendæ prævidebeantur, aut blanditiis ceſſuræ, aut violentiæ. Dic Sodes! utrum horum dignius, & cujus conſervationi magis intendendum? utique animarum conſervationem bonorum, ſine quibus Eccleſia ſtetit, ac ſtare poteſt, jacturæ anteferendam judicabis. Siquidem ipſe Salvator mortalium mortem obiit non pro muris ac bonis, ut ditaret Eccleſias, ſed pro animabus, ut eas ſibi lucrifaceret, quantumque ſit animæ unius pretium, Evangelico declaravit aphorismo: (a) *Quid prodeſt homini, ſi univer-*

Traditur quædam regula prudentiæ.

Quid actum in Pace Religioſa.

Saluti animarum omnia bona temporalia poſt ponenda.

univerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detri-mentum patiatur. Præſtitit ergo juxta prudentiam ſacram & prophanam ſinere, ut bona temporalia ad tempus avellantur, quàm ut tot animarum millia cum Religione in portu non collocarentur; interim ſolius Dei eſt, illa in tempore reſtituere quæ in tempore novari permiſerat.

(a) Matth. 16. verſ. 26.

§. V.

NEc dici potuit Cæſarem ac Catholicos Principes ita paciſcendo fuiſſe uſurpatores poteſtatis ſibi non competentis, aut ut Paulus III. Carolo V. Imperatori exprobrâſſe legitur, *falcem in alienam meſſem immiſiſſe.* Siquidem tam in Pace Religioſa, quàm Weſtphalica bona Eccleſiarum non tam data, quàm permiſſa ſunt, adeoque jure Advocatiæ, vi cujus Eccleſiæ bona, ejusque jura tueri obſtringitur Imperator, hîc & nunc ſe non uſurum, ſicut eo rerum ſtatu, tot hoſtibus ejus domum ab omni parte unicè prementibus, revera eo uti non potuit, fide datâ promiſit, quæ promiſſio non tantùm licita fuiſſe dicenda eſt, ſed & temerarius audiiſſet, ſi defendendo bona Eccleſiæ caduca, inſimul quod de Antiquâ Religione ſupererat, hanc impuliſſet in caſum. Imò ſi minùs remedio pacis tempeſtatem armorum, ob copiam hoſtium undique immane quantum inſurgentem, & ſecundis ſucceſ-

An Imp. & Cath. Status ineundo Pac. Relig. uſi ſint poteſtate ſibi non competente? Reſpondetur ad obj. ex querela Pauli III. Pontif. contra Pacem Religioſam.

Cæſaris & Catholicorum Principum prudens factum

ſucceſſibus audacem, Cæſares & Catholici Principes avertiſſent, imprudentiſſimè vel ex hoc capite ſibi conſuluiſſe viderentur; quoniam Pace, ut factum eſt, initâ, quædam duntaxat bona ſunt permiſſa; ubi ſi ancipiti aleæ Martis rem decidendam commiſiſſent, & obſtinâſſent urgere fortunam armorum toties adverſam, in periculo fuiſſent perdendi omnia; per conſequens ratio poſtulabat, ut potiùs iſta jam abſque hoc occupata in manibus Proteſtantium relinquerent, & reliqua beneficio Pacis conſervarent; cùm Pax ipſa futuram deſuper Dei omnipotentis diſpoſitionem toties deſideret, per verba P. W. *donec de religione aliter conventum fuerit*; ac de *ſuſpenſâ*, & non de *ſublatâ*, jurisdictione Eccleſiaſticâ agat.

Num ad valorem Pacis Relig. uti & Weſtph. requiratur conſenſus Eccleſiaſticus? R. Negativè & reſolvitur objectio.

Quod ſi ob requiſitum Eccleſiaſticum conſenſum Transactionem hanc ratam non habendam dixeris; Ajo: hunc in iis, quæ vitari non poſſunt, fruſtra requiri, in propatulo eſſe. Eluceſcit autem ex ſupradeductis, (§. IV. per tot.) tempore dictarum Transactionum, niſi Auguſtanæ Confeſſioni addictis quædam permitterentur, periculum bona omnia Eccleſiaſtica perdendi inevitabile fuiſſe, & ſi vel ſemel adhuc acie decretoriâ infeliciter fuiſſet dimicatum, videbatur conclamatum de ſumma rerum, & bona omnia, etiam eà, quæ usque ad eam diem Deo & Eccleſiæ tenebantur intactæ, fuiſſent in deperdito. Cui igitur bono Eccleſiæ authoritas, quæ cau-

causæ vulneratæ nullum allatura erat remedium? Lex necessitatis omni lege fortior est; in Canonibus dispensare non facile; in lege necessitatis coactè liberum est, atque hoc ipso, quòd dispensationem admittat, necessitatis strictæ rationem amittit. Interim Romana Curia & circa regulas fidei, & quæ eò spectant, tum munus, tum authoritatem quâ potenter potuit, intemeratè impendit. Nec erit dignus Zelotes, qui ex eo arguendos criminabitur Cæsares aliósque Episcopos & Status Catholicos, quod tot Ecclesias Cathedrales, Collegiatas, Abbatias, Monasteria, aliáque permittendo in manibus Augustanæ Confessioni addictorum eisdem illicitum, aut spontaneum favorem præstitisse videantur, ideoque incurrerint excommunicationem BULLÆ: COENÆ DOMINI. Resp. Quàm alienum sit hoc à vero, ex eo intelligi, quòd neque in Pace Religiosa, neque Westphalica quidquam actum fuerit de veritate hujus, vel alterius Religionis, sed quidquid eò pertinet, ad generalis, vel nationalis Concilii cognitionem, ac definitionem fuit reservatum; cum tamen nulla ratio concordiæ in fidei doctrinâ iniri posset, pax Protestantibus in Imperio, & unio duntaxat cum reliquo Imperii corpore permissa est, quæ in tanto rerum motu & convulsione Imperii tanquam maximè necessaria nec recusari, nec efficaciter corrigi potuit. Ideoque non occurrit, quomodò is, qui transigit, ut sua

Necessitas non habet legem.

Objectio 2da contra præcedentem thesin.

Quæ diluitur.

Non est reprehendendi, qui transigit, ut sua sarta tecta servet. Innocent. X. Papa contra Pacem Westphal. protestatio per Nuntium Apostolicum.

sarta tecta servet; qui permittit alium in possessione rei occupatæ, quam ei metu majoris imminentis mali relinquere cogitur, non turbare, ejusdem fautor haberi, eòque in censuram BULLÆ COENÆ: incidere mereatur? Neque reperitur, quòd Papa Innocentius X. quamvis per Fabium Chisium Episcopum Neritonensem, quà Nuntium Apostolicum (a) contra concluſa Pacis Osnabrugensis, & Monasterienſis per Bullam (b), quæ incipit: *Zelo Domûs Dei.* 20. Nov. 1648. sub decreto irritante editam fuerit protestatus, aut Ferdinandum Imperatorem, aut Episcoporum, vel Ministerorum quempiam, qui dictis Tractatibus manum applicârunt, censurâ Ecclesiasticâ perstrinxerit, quod haud dubiè factum fuisset, si quem horum in re peccaminosâ (quæ per liberum consensum tantùm constituitur) versatum fuisse judicâsset. Quòd autem nihilominùs contra utramque Pacem promulgari fecerit, quæ Summum Antiquæ Religionis Pontificem decet, protestationem, haud dubiè eo fine factum est, ne quæ dictis Transactionibus in præjudicium protestatis & Ecclesiæ Apostolicæ, nec non Catholicæ Religionis gesta, pacta, atque Cæsaris, & Catholicorum Statuum coacto consensu, firmata aut potius vulnerata erant, aliquandò ex eo capite in consequentiam trahi possent, quasi hæc præsente Apostolicæ Sedis Legato actitata probatáque fuissent, sed ut eatenus tanquam res inter alios acta pro nullis haberentur.

Affertur genuina ratio iterata protestationis.

(a) Fa-

(a) Fabii Chiſii, Epiſcopi Neritonenſis, & Nuntii Apoſtolici iteratam proteſtationem contra Pacem Weſtphalicam, omnésque ſanctiones in ea conditas in præjudicium Eccleſiæ Romanæ, & S. Sedis Apoſtolicæ, per extenſum dedit ante annum ad calcem Diſſertationis de Pacificationibus Imperii circa Religionem, Plur. Reverendus & Magnificus D. Doct. BARTHEL in hujate Univerſitate Sacrorum Canonum Prof. celeber.

(b) Idem Bullam, quæ incipit: *Zelô Domûs DEI.* Romæ promulgatam, pariter integram exhibuit cit. loc.

§. VI.

INterim tamen non ſine exemplo, ſoli Imperator, ac Status Catholici cum Proteſtantibus de eorum exercitio addictis ſubditis tolerandis, ac bonis occupatis relinquendis conventiones iniverunt. Fecerat idem jam antea Sigismundus Imperator cum Bohemis, Galliæ Reges cum Hugonottis, Rex Catholicus cum Batavis. Quemadmodum quoque poſt luſtra neque Gæſarum, neque Catholicorum, ſivè Eccleſiaſticorum, ſivè Sæcularium quispiam de validitate hujus illiusve pacis unquam dubitavit; imò omnes retrò Imperatores ad utriusque pacificationis obſervantiam vigore capitulationis ſeſe eo usque obſtrinxerunt, *donec nempè de religione aliter conventum fuerit*: prout ſua Sacra Cæſarea Regiáque Majeſtas CAROLUS VI. eandem ſeſe obſervaturam promiſit. (a) Hinc quo-

Alii quoque Reges Cath. cum Auguſtanæ Confeſſioni addictis de eorum exercitio addictis ſubditis tolerandis tranſegerunt.

Impp. vi Capitulat. ad obſervantiam Pacifica-

nemum adſtringuntur.

que, ne quis vim ac valorem ſivè Pacis Religioſæ ſivè Weſtphalicæ, quæ ad prioris interpretationem ſubſecuta eſt, impugnare præſumat, ſeverè inhibitum eſt. (b) Quod ut ſtrictius obſervetur, Auguſtiſſimus Imperator ipſemet ad animadvertendum in Authores Scriptorum Pacem Weſtphalicam oppugnantes per Capitulationem ſuam illuc ab inde (c) obſtringitur, & germanus omnis ubique juramento firmat.

(a) Capitulat. Noviſſ. Art. 11. verſ. wollen die guldene Bull ꝛc.

(b) Per Inſtrum. Pac. art. 5. §. 50. ibi : *Utriusque Religionis Magiſtratus ſeverè prohibeat, ne quispiam publicè privatimque concionando, diſputando, ſcribendo, conſulendo Transactionem Paſſavienſem ullpiam impugnet, dubiam faciat, aut aſſertiones contrarias inde deducere conetur.*

(c) Art. 2. circa fin. verſ. zumahlen auch diejenige ꝛc.

§. VII.

Tempori & neceſſitati parendum eſt.

EX his ſatis, opinor, probatum eſſe, per Pacem Religioſam, & deinde Weſtphalicam Cæſares & Principes Catholicos purè permiſſivè (Cap. I. §. V. in fin.) ſe habuiſſe, nihilque eis imputandum, quòd tempori & neceſſitati inevitabili paruerint; nemo proindè neque unam, neque alteram pacem, ſed potiùs neceſſitatem, ex quâ utraque deſcripta eſt, incuſet. Quemadmodum enim in navigando tempeſtati obſequi prudentis eſt Navarchi, & ut aliquandò nave ſalvâ portum teneat, eámque ſubducat periculo,

Probatur rem à ſimili,

riculo, parte mercium per jactum perditâ, quod reliquum eſt, redimere; ita & Cæſaribus in adminiſtrando Imperio providendum fuit, ut cum minore jacturâ quædam deperire permitterent potius, quàm ut Antiquam Religionem Catholicam unà cum Republicâ in occaſum præcipitarent. Hoc enim verò malum facere non eſt, ſed permittere, quæ impediri non poſſunt. (a) *Tum ex S. Litt.*

(a) Vid. 3. Reg. 22. & 41. & 2. Paralip. 17. verſ 5.

§. VIII.

QUilibet, qui tantam Religionis causâ in Germania perturbationem, támque fatales diſſenſiones legerit, non immeritò mirabitur, undè in gente tot abhinc ſæculis ſincerè Catholica Religione imbuta, & fidelè tam repentina mutatio? undè ſub Imperatoribus potentiſſimis juxtâ ac piiſſimis in Avitæ Religionis periculum tam funeſta ſequela? Verùm ex quo tempeſtas illa exorta ſit, quoniam nec narratione, nec probatione indiget, rem ipſam Evangelicæ ponderationi ſubjiciendam brevibus puto, ubi à Chriſto ſtatutum: *Veſtrûm non eſt nôſſe tempora . . . . quæ poſuit Pater in poteſtate ſuâ.* (a) Paucis tamen innuendum cenſeo: An. 1517. Bellum indictum Eccleſiæ ab Indulgentiis, quas promulgare cum prohibitum Luthero, is à Leone X. Romano Pontifice poſt crebras admonitiones, Anno 1520 anathemate percuſſus; dein à Carolo V. Cæſare, cum videret Religionum diſcor-

Unde in Catholica Religionis exitium conſpiratio?

Hiſtoria refertur de ortu & Progreſſu Lutheranismi.

Lutherus Leone X. Pontifice Max excommunicatur.

discordiam maximos in Imperio esse producturam turbarum impetus, nec eum à nova sua sententia avelli posse, per Edictum Wormatiense solenniter proscriptus est; at postquam tegente eundem Saxoniæ Electore in Alstetensi recessu in Thuringiâ delitescens declinatô periculô evasisset, novæ quoque Religionis ex veteris ruinis ædificandæ consilium sumens, Invocationem Sanctorum, Sacrificium Missæ, Eucharistiæ sub unâ specie sumptionem, Purgatorium, Hierarchiam Ecclesiasticam, Consilia ac dogmata Ecclesiæ Antiquæ Catholicæ de præsentiâ Christi in Eucharistia, antiquas Dei Cæremonias, aliáque plurima quamvis jam à Christi, Apostolorum, ac Patrum temporibus continuâ serie tradita, à Religione Catholicâ apertè cauta, & ab Ecclesia non interruptim stabilita, tum concionando, tum libris editis perstringere, atque privatâ authoritate abrogare, adeoque Reformatorem Ecclesiæ agere incœpit, Christianam vivendi doctrinam moralem, & sacra, & jura, & bona Ecclesiastica liberaliter condonando. Quo prævio credendi emolumento varios Electores ac Principes, & horum exemplo sensim subsequutas Civitates Imperii Liberas, quarum viginti quatuor invenit sequaces, in fœdus tacite habuit; ut præteream rusticam per Germaniam seditionem, quâ ad trecente hominum millia absumpta creduntur.

Hic ab Electore Saxoniæ detinetur.

Lutheri doctrina contra Religionem Romano-Catholicam.

Cur plurimos patronos inveneris?

Cæsar

Cæſar deindè cum poſt multa colloquia de componendis diſſidiis tentata, videret omnia indies in pejus ruere, ſibique à Proteſtantibus formulam (b) Confeſſionis fidei ſuæ die 25. Junii Anno 1530. in Comitiis Auguſtanis oblatam improbâſſet, interim tamen usque ad 15. Aprilis anni ſequentis deliberandi ſpatium dediſſet, edictóque ut bona Eccleſiaſtica occupata reſtituerentur, néve inquietando Catholicos, eósve ad nova attrahendo, quidquam novaretur, caviſſet, nihil niſi proteſtationes, & poſtea Smalcaldicum fœdus Anno 1537. in ſe concitavit, (c) Proteſtantibus, ſibi innoxiam defenſionem obtendentibus, ubi in facto tot Eccleſiæ, & Catholici paſſim violentâ manu exſpoliebantur, quo factum, ut imminente graviſſimo Chriſtianitati à Turcarum inundatione periculo, Cæſari tanquam Legitimo Capiti neceſſaria, & juſta petenti ſubſidia detrectarentur, ita quidem, ut dum Solimannus Viennam cum trecentis Turcarum millibus obſideret, & non Germania tantùm, ſed & univerſa Europa Chriſtiana in extremo verſaretur diſcrimine, Proteſtantes, & otioſa ferè tota germania tantarum calamitatum Imperii decretoriam vix non aleam jacientis ſpectatrix conſederint.

Confeſſio Auguſtana à Cæſare improbata.

Fœdus Smalcaldicum contra Cæſarem initum.

Vienna à Turcis obſeſſa.

(a) Actorum 1. verſ. 7.

(b) Huic ſubſcripſerunt Joannes Elector Saxoniæ, Georgius Marchio-Brandeburgenſis, Erneſtus & Franciſcus fratres & Duces Liineburg. Philippus Haſſiæ Landgravius, Wolffgangus Dux Anhal-

Anhaltinus, & Civitates Imperiales duæ, Norimberga & Reutlinga. Accesſêre ſucceſſu temporis alii Proceres & Civitates, fiduciam ſuam vel in potentia Unitorum Principum, vel in abſentia Cæſaris eo tempore in propellendis Turcarum irruptionibus occupatiſſimi collocantes.

(c) Bellum tandem à Carolo V. contra Confœderatos Smalcaldicos ſuſcipiebatur.

§. IX.

Carolus V. quare Proteſtantes pro hoſtibus Imperii declaratos proſcripſit?

OMnibus lenioribus mediis incaſſum tentatis Carolus V. Imperator, cum à Proteſtantibus vilipendi edicta ſua, fœdera, conſpirationésque jactari, copias ac pecunias ad bellum faciendum colligi comperiſſet, eosdem pro hoſtibus Imperii declaratos proſcripſit.

Proteſtantes bellum denuntiant Cæſari.

Primi Anno 1546. ſub explicatis ſignis apparuêre Proteſtantes Saxone, & Landgravio Haſſiæ Ductoribus tantâ freti ſuarum virium fiduciâ, ut non modò bellum denuntiare Cæſari, verum Imperatoris etiam titulum eidem abrogare non dubitarent, eum compellando: *qui pro Cæſare ſe gerit.* In ipſo autem Bello Smalcaldico Anno 1546. cœpto, & Anno 1547. finito Joannes Fridericus Saxoniæ Elector, & Philippus Haſſiæ Landgravius, prioris exercitu in prælio ad Mulbergam fuſo, capti, in Cæſaris poteſtatem pervenerunt, quorum uterque deinde, cum exſpectatione diutius ſub cuſtodia haberetur, Mauritius, & Albertus Marchio Brandenburgicus icto (ut ſupià cap. 2. § 1. dictum) fœdere

dere cum Henrico II. Galliarum Rege, poſtquam pœnipotentem usque Tiroleos urbem penetrâſſent, Carolum Cæſarem occupaturi ad Paſſavienſem Transactionem tragicam hanc belli Civilis expeditionem perduxérunt, multa Proteſtantibus permittente Carolo, quæ prohiberi vi, & armis temporis circumſtantiæ non patiebantur. *Exitus Belli Smalcaldici.*

§. X.

PRimam turbationis patriæ ſementem fecerunt genimina Confeſſionis Auguſtanæ; prorumpens etenim Religionis libertas in exemplum, & vix non in libertinismum abierat, cùm omnes ac ſinguli diſcrepantium opinionum Anteſignani Sacram Scripturam contra traditiones orthodoxas interpretantes pari jure niti volebant, prædicente S. Apoſtolo Paulo de iis, qui prurientes auribus à veritate antiquâ auditum avertunt; nec non ipſis, qui aliis hanc viam aperuerant, Proteſtantium Theologis id ipſum confitentibus in ſcripto Electori Saxoniæ, ac Principibus ſuis exhibito, teſte Chytræo (b) in verbis: *Videmus, quanta mala ex hac diviſione exiſtant, quanta contumacia & petulantia Vulgi, quæ ſecta, qui errores quotidie proveniant.* *Confeſſio Auguſtana.*

Prima nempè ad fabulas Converſio Anabaptiſtarum fuit, qui in Roteraniſtas, Munzerianos, Adamitas, Stebleros, Sabbatharios, Clancularios, Manifeſtarios, Dæmoniſalvos, communia omnia habentes, *Recenſentur variæ Secta quæ propullularunt.*

tes, Condormientes, Ejulantes, Davidiſtas, Memnoniſtas, Polygamiſtas, in ſumma, in ſectas quadraginta & unam dimenſi ſunt. Anabaptiſtis proximi Sacramentarii, quorum agmen Carolſtadius, ejusque Symmiſta Haldericus Zwinglius, & Oecolampadius duxêre, minimùm in triginta quinque diſcrepantes de fide opiniones abiêrant. Ipſi Lutherani ſtatim Antiquæ Religioni adhuc proximiores in exordio ſuo in tria genera diſceſſerunt, nempe in molles, rigidos, & mixtos. Inter molles reputati Adiaphoriſtæ ſic dicti, quòd conſtitutiones, & Cæremonias Catholicæ Eccleſiæ inter adiaphora collocent. Medii, ſeu mixti in ſemi-tranſubſtantiatores, Extravagantes, Confeſſioniſtas, & Recalcitrantes diviſi. Ne quid de Semi-Lutheranis memorem, qui Lutheri doctrinæ de ſuis opinionibus aſſuerunt varia, quorum minimum octodecim opiniones diverſæ numerantur. (c) Ex quibus apparuit, violatâ Eccleſiæ unitate diſſenſionum nullum eſſe finem, & quæ facta, non Spiritu Pacis, ſed diſſenſionis ſubrepſiſſe.

In qua & quot genera ipſi Lutherani ſtatim diſceſſerint?

Ubi non eſt unio, ibi nullus diſſenſionum finis.

(a) 2 Timoth. 4. verſ. 3. & 4.
(b) in Hiſtor. Confeſſ. Auguſtanæ fol. 235.
(c) juxta Ulenberg. in vita Flaccii.

§. XI.

Unde Religio ſic dicta Reformata?

POrrò ex Lutheri ſenſu nata eſt, quæ à Calvino nomen & formam habuit, ſic dicta Reformata Religio. Hæc è Gallia ſenſim in Germaniam,

&

& Belgium illata ſpiritu infelici, quem prætulit prima editio Inſtitutionum Calvini, exhibens pro ſymbolo gladium flammis circumdatum, cum lemmate: *Non veni Pacem mittere, ſed gladium*, novis omnia tumultibus implevit, igne, ſanguine & cæde. Itaque cum Religione tam inquietâ, támque violentis nixâ principiis Pax viſa eſt vix, aut ne vix quidem conſiſtere poſſe diuturna; cum enim tam Auguſtanæ Confeſſioni addicti, quàm Reformati neque Eccleſiæ, neque Imperatoris & Imperii jurisdictionem recognoſcere vellent, ſed controverſias etiam occaſione Religionis, & Pacis Religioſæ motas, aut in Comitiis omnibus Statibus præſentibus, aut coram Commiſſariis utriusque Religionis æquali numero delectis diſceptari, decidíque poſtularent, cum facile prævidendum erat, ſe, qui nullo ſervato juris ordine ipſimet Actores ac judices poſſeſſiones Eccleſiaſticas contra tenorem Pacis occupârunt, per mandata *ſine clauſula* ad eorum, & quod interdicto *unde vi* conſentaneum eſt, etiam ad fructuum à die occupationis perceptorum reſtitutionem, quæ multis aliquot auri myriadibus conſtitura eſſet, obligatum íri, ipſis Proteſtanticis Jurisconſultis Cauſæ ſuorum Principum in via juris obtinendæ diffitentibus; Primò quidem ad aleam belli decurſum eſt. Verum, cum poſt tentatam tot prælíis fortunam armorum pars utraque prudenti conſilio ponderâſſet, ſe,

Quæ fomenta calamitioſiſſimum Germaniæ bellum, quod poſt data ſæpius citroque clades in ſacc Weſtph. reſtinguendum fuit, rencendi ſocerunt?

ſi extrema perſequeretur, exteris regionem ambientibus ludibrio & prædæ futuram, tandem transactione componere fatale bellum maluit, quàm luctuoſam ancipitémque exſpectare victoriam, quæ victo victorique ſervile jugum imponeret.

§. XII.

An Religio Catholica dici debeat tolerata?

QUibus ita compoſitis non injuriâ ſæpius dubitatum & quæſitum fuiſſe memini; *recténe Auguſtanæ Confeſſioni, aut ſic dictæ Reformatæ, aut vice verſa alterutri Religioni junctus, Antiquam Catholicam Confeſſionem ac fidem appellare poſſit toleratam ſivè receptam?*

Reſpondetur ad quæſtionem ſub diſtinctione.

Inprimis Cath. Antiq. Religionem omni ævo receptam ſtatuere non dubitarem; deinde diſtinguendum omninò exiſtimarem quoad Religiones ſingulas ex tribus nominatis: An quæratur habito reſpectu ad particularia territoria Statuum, ubi una Religio reliquis prædominatur, & tum hujus intuitu quadantenus, id eſt: quoad tolerantiam localem reliquæ, adeoque & Catholica videntur dici poſſe toleratæ. Ita enim in territorio Regis Boruſſiæ quà Electoris ac Domini multorum Principatuum, Catholici, & Auguſtanæ Confeſſioni addicti pro toleratis habentur, cùm ſic dicta Reformata Religio ibi ſit dominans. Si verò conſideretur Religio Catholica reſpectu totius Imperii, eo reſpectu minus rectè eandem pro toleranda habendam exiſtima-

Ea ratione Religio Catholica minùs re-

rem;

rem ; eò quòd ex Actis Recessuum Imperii planum fiat, Electorem Saxoniæ, & Hassiæ Landgravium, reliquósque eisdem adhærentes initio, cum novitia eorum Religio Caroli V. Sententiâ proscriberetur, nihil nisi securitatem & liberum exercitium Confessionis suæ, & suspensionem Ecclesiasticæ jurisdictionis postulâsse. Hoc quid aliud est, quàm petere, ut tolereris, néve Legibus reus fias? De quo omne dubium exhaustum puto per expressa verba Pacis Westphalicæ: *Salvâ per omnia Religione Catholicâ*, tanquam à Christianis primis derivante, & unicè verâ, & unâ Ecclesiâ propter quam alia nunquam extitit, & quæ supra petram à Christo posita durat continua.

Et dicatur tolerata?

Sed rectius Lutheranæ & Calvinina pro talibus, quæ noviter receptæ habenda?

Enimverò perpendebant Protestantes, sese tum quoad exercitium Confessionis suæ, tum etiam quoad bona Ecclesiarum occupata jus nullum obtinere, neque sibi contra Catholicorum actiones jus ullum de jure competere posse, ideo id unum sibi agendum cogitabant, ut impedirent, ne Legibus secum agi posset, quibus stantibus prætensos tum violentis, tum clandestinis occupationibus titulos solem non laturos facilè agnoscebant, id quod assecuti sunt, Catholicis ad Pacis compositionem, & actionum adversùs se competentium suspensionem adactis, cui rei argumento est famosum illud INTERIM. Sed quòd *interim* Antiqua Religio *per omnia Salva* statuatur, exinde non invenio, eam inter *tole-*

Quid actum in famoso illo Interim?

ratas aut *receptas* connumerari debere. Hoc verò fatendum credo, quod in ſpecie ubi alia dominans eſt, pro tolerata quoad exercitium cenſenda veniat, recepta quippè ab omni ævo; & rurſus eandem pro recepta ſtatuendam exiſtimo, ubi favore Domini Territorialis ultra normam Anni Regulativi aut illa, aut inter duas alias hæc, quæ dominans non eſt, recipitur ac toleratur. Cùm cœterum duas noviores toleratas ſemper atque receptas Pax ipſa denominet ac deſignet; Domino Territorii verò liberum omninò & cautum ſit absque præjudicio propriæ receptas tolerare, atque tolerandas recipere.

Quid in Pace Religioſa?

Per quod cùm temporales duntaxat inducíæ usque ad definitionem futuri Concilii indulgerentur, neque ea ſuſpenſione ſibi ſatìs cautum Proteſtantes adverterent, ulterius progreſſi, eo tandem rem perduxêre, ut ratione bonorum occupatorum neque intra- neque extra judicium ſtabilis, ac perpetuæ Pacis conſervandæ cauſâ conveniri, aut interpellari poſſent, & ſuſpenſâ usque ad finalem Religionis compoſitionem jurisdictione Eccleſiaſticâ, ipſis quoad Religionem ritus, ordinationes, & conſtitutiones Miniſtrorum, ſua libertas integra relinqueretur, nullumque impedimèntum vel obſtaculum injiceretur. (a) Id ipſum extenſum Pace Osnabrugenſi, (b) ut tametſi (quod Deus prohibeat) de Religionis diſſidiis amicabiliter conveniri non poſſet,

Quid tandem in Pace Weſtphalica?

nihil-

nihilominus conventio de retinendis iis, quæ primâ Januarii Anni milleſimi, ſexcenteſimi, vigeſimi quarti poſſederint, perpetua ſit, atque ita Aug. Conf. addicti ſuſpenſionem actionum adverſus ſe tempore non limitatam obtinuerunt.

Ex quibus utique infertur, negandum non eſſe, toleratam primitus libertatem Religionis Carolo V. Cæſari deberi, Catholicos in omnium eorum bonorum (uti monſtrant à tot retrò ſæculis memoriæ impreſſa ad irrefragabile diutiſſimæ poſſeſſionis teſtimonium Catholicæ Religionis veſtigia) poſſeſſione indubitata fuiſſe; adeoque reſtitutionis remedia ſine controverſia, competiiſſe, quibus ubi per pacem renuntiârunt, utri ſana ratione prædito tolerati videbuntur? an ii, quibus vindicias Lex ipſa tribuit, an verò illi, quibus Pacis cauſâ uſus & poſſeſſio permittitur? Profectò ad prima devenire oportet rei cujusque initia (c) quæ ſi hac in parte curatius perpenderimus, nemo non agnoſcet, tam Auguſtanam Confeſſionem, quàm ſic dictam Reformatam Religionem, cùm ſenſim utraque in Imperium irreperet, ſecuritate duntaxat laborâſſe diſtracto deinde per bella Eccleſiæ Protectore & Advocato Carolo V. eò excreviſſe, ut eandem gratiam cum Antiquæ Religionis cultoribus adepti, nunc vere tolerati ac recepti habendi ſint. Nec obſtat dictis, ſi quis ex eo inferre velit, unam Religionem perinde ac alteram dicendam eſſe toleratam ac receptam, eo quòd

Concluditur Religionem Catholicam in Imp. Rom. Germ. minùs, rectè dici tolleratam.

Satisfit objectioni.

in Pace Weſtphalica (d) conventum ſit, ut inter *utriusque Religionis Electores, Principes & Status omnes, & ſingulos ſit æqualitas exacta, mutuáque, ita ut, quod uni parti juſtum eſt, alteri quoque ſit juſtum*; Nam licèt hoc & verum certo reſpectu, & venerandum iis omnibus eſſe debeat, qui tenerrimas Patriæ circumſtantias aut nôrunt, aut ut boni Cives, & charitatem colentes Chriſtiani amant, dicta tamen de Tolerantia & Receptione locali, nec non de jure quærendo, non item quæſito amittendo capienda eſſe quilibet facilè intelliget, qui Catholicis in Inſtrumento Pacis Religioſæ ab ipſis Proteſtantibus Antiquæ Religionis prædicatum tributum eſſe legerit, & ſanâ mente cùm æqua lance meminerit, non *ſublatam*, ſed tantùm *ſuſpenſam* eſſe jurisdictionem Eccleſiaſticam, neque de ea, quæ *Salva* manere debet, ſed de illis, de quarum tolerantia noviter, & quidem ſub conditione: *Donec de Religionis diſſidio aliter conventum fuerit*, adeoque *Salvâ per omnia Religione Catholicâ* plùs ceſſum atque indultum obvenire, quàm verbis & facto ab omnibus utrinque Compaciſcentibus expreſſum atque ſtipulatum fuit; Cum in hiſtorica fide compertum omninò & innegabile ſit, Auguſtanæ Confeſſionis dogmata tum Antiquis Eccleſiæ Conſtitutionibus, tum ab Imperatore Maximiliano I. in Epiſtola ad Leonem X. ex Conventu Auguſtano data Anno 1518. & à Carolo V. Wormatiæ

Inter utriusque Religionis Status quæ ſit æqualitas, adumbratur.

Anno

Anno 1521. dein Spiræ Anno 1529. iterum Auguſtæ Vindelicorum in Comitiis prohibita primitus & damnata fuiſſe, & quorum in communionem Proteſtantes admiſſi ſunt, hæc eis per Cæſarem, & Catholicos teſtibus Actis publicis primum denegata, ac dein ex indulgentia ob bonum commune Pacis, diſponente ſic eo, in cujus manu omnia ſunt, permiſſa ac recepta fuiſſe. Satis ex his eluſcere puto quænam ex tribus ſuprà dictis Religionibus, & quo ſenſu poſſint dici verè toleratæ, ac receptæ, cùm & ſano ſenſui omninò repugnaret, illam, quæ *Antiqua* prius & ab ævis fuerat religio, quam *ſalvam per omnia* omnes compaciſcentes & deſiderârunt, & ſtabilierunt, inter toleratas aut receptas ſtatuere, atque ſic quod fuit ac dudum erat, pro novo baptizare velle, & aſſerere.

(a) Ita tabulæ Pacis Religioſæ art. 5. & 6.

(b) Art. V. §. 14. in fine : *Si verò, quod Deus prohibeat, de Religionis diſſidiis amicabiliter convèniri non poſſit, nihilominùs hæc conventio perpetua ſit, & Pax ſemper duratura.*

(c) L. Pomponius 15. ff. de negotiis geſtis.

(d) D. Art. V. §. Transactio 1. in fin.

(e) Matth. Cap. 13. verſ. 24.

§. XIII.

Ingreſſus ad Quæſtionem?

QUia verò per præfatam Pacem Religioſam, ac ſubſequentem Weſtphalicam Principes, ac Status Catholici, quibus de cætero exercitium reformandæ Religionis non minus, quàm aliis Auguſtanæ Confeſſio-

fesſioni addictis eodem jure, eâdemque æquitate competere textus ipſe docet, (a) Landſaſſios, Vaſallos, & ſubditos ſuos cujuscunque generis, qui quacunque anni ſupra Milleſimum ſexcenteſimum vigeſimi quarti parte publicum, vel privatum Auguſtanæ Confeſſionis exercitium habuerunt, in quieta poſſeſſione illius, unà cum annexis: uti ſunt conſtitutio Conſiſtoriorum, Miniſteriorum tam Eccleſiaſticorum, quàm Scholaſticorum, jus patronatûs, nec non templa, monaſteria, hoſpitalia, Fundationes cum omnibus reditibus, acceſſionibus ac pertinentiis relinquere pacto tenentur; reipſâ verò contingat, quòd Jus Sacrorum receptæ Religionis, & nominatio ſubjectorum ad hæc Conſiſtoria, Miniſteria Eccleſiarum Auguſtanæ aut Reformatæ Confeſſionis, Scholas & alia, in Principem Statumve Catholicum jam eodem anno decretorio jure hoc munitum & gaudentem devoluta ſint; aut etiam Catholicus Princeps in Territorio Auguſtanæ Confeſſioni addicto, in quo Prædeceſſores ſui id genus Præſentationum & Ordinationum peregerunt, ſucceſſerit; hinc ratio Dubitandi moveri poſſet, an tutum illi ſit, ejusmodi jura in ſubditos ſuos Aug. Conf. addictos exercere, qualia nempè Status Proteſtantes Territorii jure exercent? Summa rei videtur, quod non vacet culpâ, qui uſurpat jurisdictionem ſibi non competentem, ordinationes enim in Eccleſia Chriſti facere ſolius eſt poteſta-

An, & qua jura Status Catholici in ſubditos Auguſtanæ Confeſſioni addictos poſſint tutò exercere?

potestatis Ecclesiasticæ, cui expressis verbis primariæ, in S. Petro, & Apostolis, & per hos Discipulis jus clavium, & pascendi gregem Fidelium cura per prædicationem, Baptismum & remissionem peccatorum à Christo Domino, & non Regibus, Principibus, aut Magistratibus commissa; nam insanum foret supponere, Ecclesiam, quam HOMO & MAGISTER DEUS *super firmam Petram ædificavit, & ad finem mundi duraturam* (b) declaravit, ad tempus, & personam unam restrictam, adeoque abhinc aut desertam, aut non reperibili novâ authoritate novam adstruere velle, cùm una tantùm Ecclesia, & extra hanc nulla salus præciso textu decreta fuerit. Per consequens delictum existimari posset, Ministros instituere, & cœteris sese ingerere muniis, quæ ex Antiquæ Religionis fide tantum Episcopali reservata constant potestati ac dignitati. (c)

Ratio dubitandi deprometur ab incompetentia Jurisdictionis.

Re tamen penitius inspectâ facilè dignoscendum venit in dictâ hypothesi Pacis Religiosæ, ubi reciprocâ paciscentium omnium Lege Augustanam Confessionem, & Reformatorum Religionem recipere ac tolerare conventum fuit, neminem se obnoxium reddere, si ordinationes & Jura Sacrorum Religioni receptæ ac toleratæ conformiter jure quod obtinet territoriali, eâdem Lege & fide præscribat, reliquáque peragi jubeat, quæ ex decantata illa Regula: *Cujus est Regio, illius quoque est Religio*, cui-

Resolutio quæstionis propositæ.

que Germanorum in ſuos ſubditos jure Superioritatis Territorialis exercenda competunt.

Removetur ratio dubitandi.

Nec in receſſu quidquam habet allata illa Ratio dubitandi, quòd receptarum ac toleratarum Religionum ordinationes, ac Miniſtros conſtituens, Jurisdictionem Eccleſiaſticam contra Legem Chriſticolarum incompetenter uſurpet; Cùm hìc id tantum exerceatur, quod novâ Lege receptum, & ad certas temporis moderni aut futuri conditiones ac regulas tolerandum, mutuò ſtatutum eſt; Notum præterea eſt accompertum, quòd per Pacem Religioſam, (c) & deinde per Weſtphalicam, (d) Jus Diœceſanum, & Jurisdictio Eccleſiaſtica Epiſcoporum Catholicorum, non verò poteſtas, usque ad compoſitionem Chriſtianam diſſidii Religionis certo reſpectu, & conditione poſitâ, ſuſpenſa ſit, poteſtas enim in animam Catholici, ſive Antiquæ fidei aſſeclæ nec ſuſpenſa unquam fuit, nec ſuſpenſam Paciſcentes voluêre; jurisdictio verò in res & perſonas, quæ Epiſcopis ademptæ fuêre, abs ſe corruebat. Proinde cum Eccleſiaſtica jurisdictio defacto ſit impedita, utique res redit ad jus naturæ priſtinum, quo ſtante ſacrorum ordinatio ad Principem re ſic conſtitutâ pertinuit; omnis enim res facilè redit ad naturam ſuam. (e) Quandoquidem igitur Religio, ut eſt virtus moralis Rerumpublicarum Moderatoribus pro parte, id eſt: quoad curam obſequii & executionis competiit, eoquôd finis humanæ ſocietatatis, quæ eſt

Jurisdictio Eccleſiaſtica ad primævam ſuam naturam quando redeat?

Quaratione jurisdictio Eccleſiaſtica etiam

tran-

tranquilla & socialis hominum vita, remotâ Religione obtineri nequeat, nihil video, quod nunc post latas Pacis Leges impediat, quo minus, cum nemo alius sit, qui Jure Divino hanc jurisdictionem, quoad superiorem Ecclesiasticum, suspensam exercere possit, ejusdem exercitium Principi Politico per substitutam Territorii causam relinquatur. Durius enimverò certè foret dicere, in datâ hypothesi nullum rerum sacrarum receptarum judicem existere, aut subditis eam asserere, quàm Domino loci Catholico ejusdem exercitium attribuêre; qui nisi ab alio fortius jus habente excludatur, fundatam habet intentionem ex eo, quòd datus ideò sit ei gladius, *ut sit Dei Minister, vindex in iram ei, qui malè agit.* (f)

Principi Politico relinquendo?

Atque id quoad Protestantes eò fortius militat, quòd apud eos sacrum sanctumque habeatur illud: *Cujus est Regio, illius est Religio.*

Probatur tum quoad Protestantes.

Quoad Catholicos verò ad eximendum scrupulum facit, quòd Religioni Catholicæ conducibilius sit, ut Ministros suæ communitati diversæ Religionis, & ordinationes constituat Dominus Catholicus, quàm si circa hæc nullus sit, qui ordinet, vel personis singulis, aut communitati harum rerum libera administratio concedatur, per consequens nemo rationabiliter negabit, ubi Ecclesiastica Catholicorum potestas absque eo sese exercere amplius non potest, ea per Principem Sæcularem Catholicum pari Lege bene ac justè peragi,

Tum quoad Catholicos.

Suadente ſic prudentiâ, & ſiccis verbis diſponente Pace Weſtphalica, quæ Principibus Auguſtanæ Confeſſionis in ſubditos alterius Religionis omnia illa aſſerit, quæ contra Salvam Religionem Catholicam, extra poteſtatem in animam, concedi poterant. *Quidquid* igitur in ſupra poſita hypotheſi Dominus Catholicus facit circa prædicta ſpiritualia ex eadem Territorii Lege in locis & rebus, quæ Catholicorum juri ac fidei ampliùs ſubjecta non ſunt, ſua tamen, hoc juſtè facit, quippe qui ea peragit, quæ rationabiliter omitti aut denegari non poſſunt. Nam prout aperta neceſſitas Tolerantiam ac Receptionem alterius Religionis juſtificat, ita intereſt omnium ſuſpensâ jurisdictione Eccleſiaſticâ, Principem Territorii illam habere, eùmque Conſtitutiones circa toleratarum ac receptarum Religionum Sacra conſervare; hoc enim ſolo modo præcaveri poteſt, ne populus Religioni ex cauſa urgente indultæ addictus, cui promiſcua, quod velit, credendi licentia permittenda non eſt, deinceps in plurium novorum articulorum doctrinam pronus abripiatur, prout per Pacem, & tot S. R. I. Conſtitutiones ſapientiſſimè cautum eſt, nullam aliam præter tres ſæpè dictas, Religionem recipiendam ac tolerandam eſſe.

In certis circumſtantiis interreſt Eccleſiæ Jurisdictionem Eccleſiaſticam per Principem ſæcularem exerceri.

(a) Vigore Inſtrum. Pacis Osnabrug. Art. V. §. 31.

(b) Matth. Cap. 16. verſ. 18.

(c) Arg. Cap. Tua nos. X. de Homicid.

(d) §. Damit auch. 20. Pacis Relig. de Anno 1555. ibi:

bis

bis zu endlicher Christlicher Vergleichung der Religion, die Geistliche Jurisdiction ruhen? eingestellt und suspendirt seyn und bleiben.

(e) d. Art. V. §. Jus Diœcesanum. 48.
(f) L. si unus. 27. §. 2. Vers. quod & in Specie. ff. de Pactis.
(g) ad Rom. 13.

§. XIV.

EX modò demonstratis principiis prono velut alveo fluit, uti & ex Christiana regula in propatulo est, quòd, quamvis ubi agitur de quæstione: *An hoc, vel illud sit de fide? aut an hæc, vel illa opinio sit hæretica?* Id definire non ad sæcularem, sed privativè ad Ecclesiasticam potestatem pertineat, uti Imò probatur ex Sacra Scriptura. Ezech. 22. *Sacerdotes populum meum docebunt, quid inter sanctum & pollutum, & inter mundum & immundum, ostendent eis: & cùm fuerit controversia, stabunt in judiciis meis, & judicabunt Leges meas, & præcepta mea.* Argumento quoque deducto ex Deuteron. 17. vers 8. ubi DEUS illis, qui dubitant circa intelligentiam Legis Divinæ, præcipit, ut ascendant ad Summos Sacerdotes, atque ex eis quærant solutionem, subjungens: *Quæ indicabunt tibi judicii veritatem, sequèrisque sententiam eorum.* Quod, si necessarium visum fuerit pro Statu Legis Mosaicæ, multò magis militabit pro Statu Legis Novæ, quæ non cira figuras,

Decisio causarum fidei non competit Principibus Laicis.

Probatur tum ex S. Scriptura.

cruenta ſacrificia, & cæremonias tantùm occupatur ut vetus, ſed altiſſimis, & ab humano intellectu vix comprehenſibilibus, ac per obſequia fidei credendorum conſtat articulis. Quò etiam facit.

Tum ratione.

2*dò*, Quòd oſtendi non poſſit, quisnam Principi Sæculari aliquid circa Sacra, Sacramenta, fidem, aliáve Religionis negotia definiendi poteſtatem conceſſerit; Inprimis *non Chriſtus Dominus*: nam hic Petro (uti ſupra monitum fuit) & Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus nunquam interruptâ ſerie claves Regni Cœlorum unà cum ligandi ſolvendíque poteſtate concredidit, & paſcendas oves, id eſt: fideles dirigendos docendósque (aſſerto, tot verbis ipſius Evangelii, ac Divorum Apoſtolorum Petri & Pauli effatîs meridiano ſole, clariore) commiſit, non autem Tiberio tunc Imperanti, nec Herodi, aut Pilato. Deinde non etiam *populus & ſubditi*: hi enim nihil aliud, quàm quod ut membra corporis merè politici habuerunt, id eſt: poteſtatem merè politicam conferre potuerunt, ſpiritualia verò dijudicare, & in iis à falſo verum ſeparare ab hac poteſtate eſt remotiſſimum, ejusques phæram activitatis planè ſuperat. Hinc rectè concludit Doctor Angelicus (a) verbis: *Quæ autem ſit ad veram beatitudinem via, & quæ ſint impedimenta ejus, ex Lege Divina cognoſcitur, cujus Doctrina pertinet ad Sacerdotis officium.* Juxta illud Malachiæ 2. *Labia Sacerdotum*

Tum authoritate SS. Patrum.

dotum cuſtodient ſcientiam, & Legem requirent de ore ejus. Sic & Apoſtolis dictum: (b) *Spiritus Sanctus poſuit vos regere Eccleſiam DEI;* Hæc autem regitur verbum DEI interpretando, docendo, & errores corrigendo, quæ omnia ab eadem radice proveniunt. Hoc & agnovit Juſtinianus (c) conſtituens: *Si Eccleſiaſticum negotium ſit, nullam communionem habento Civiles Magiſtratus cum ea diſceptatione, ſed Religioſiſſimi Epiſcopi ſecundùm Sacros Canones finem imponunto.* Quod ſubſequentes tot piiſſimi Imperatores, & ſæcula omnia per tot Conciliorum, Regum, ac Principum, capitularia & conſtitutiones uno ſemper ore & facto venerati ſunt. Hinc Hoſius Cordubenſis Epiſcopus unus ex Patribus, qui primo Nicæno Concilio interfuerunt, Conſtantium Imperatorem redarguit his verbis: *Deſine quæſo Imperator, ne te miſceas Eccleſiaſticis, ſed potiùs ea à nobis diſce. Tibi DEUS Imperium commiſit, Nobis, quæ ſunt Eccleſiæ, concredidit.* Et ad eundem Leontius Epiſcopus: *Miror, quomodo ad alia vocatus aliis rebus te immiſceas, militaribus enim & Politicis præfectus, in his, quæ ad Solos Epiſcopos pertinent, præeſſe vis?* Quibus primorum Conciliorum Romanæ, & aliarum Sedum Statuta, plana Eccleſiæ authoritate notoriè adſtipulantur, nec eſt, quòd hic deſuper ulterius vagemur, & pluribus authoritatibus probemus, cum in caſu (quo de fidei controverſia, aut etiam de quæ-

ſtione:

ſtione: *An hæc, vel illa opinio antiquæ fidei ſit, aut hæretica?* definiendâ tractatur) pro Eccleſiaſtico Superiore etiam militet textus expreſſus in cap. ut inquiſitionis. 18. §. prohibemus de Hæret. in 6. ibi: *Ne judices ſæculares de hoc crimine quoquo modo cognoſcant, cùm NB. ſit merè Eccleſiaſticum.* Ubi ſignantur dicitur: *quoquo modò*, id eſt, nec principaliter, nec incidenter.

Potentiùs urget 3*tiò* dictum Chriſti: (d) *Si autem Eccleſiam non audiêris, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Ubi non dicitur, habendum pro Ethnico, qui Principem non audiêrit, huic enim reſiſtens ſit rebellis, at hoc aſſeritur, ſi quis Eccleſiæ judicio contradixerit, habeatur ùt Ethnicus. Quare nec Chriſtus in Novo Teſtamento ea, quæ Dei, cum illis, quæ Cæſaris ſunt permixta voluit, prout in Antiquo & idem Deus præcepit, & contra-facientes non interruptim punivit. Ex quo evidenter concluditur, in his, quæ fidem & Eccleſiam concernunt, Eccleſiam, non Principem, legitimum exiſtere ſuperiorem, & ab ejus dependere judicio, quem gremio ſuo dignum, quémque excluſum pronuntiet. Quod ipſum omnibus ac ſingulis in Pace Religioſa & Weſtphalica Compaciſcentibus Summæ curæ fuiſſe vel ex eo patet, quòd in utraque nil de forma credendi, ſed tantum de norma tolerandi, ac pacificè invicem convivendi ratione, magnâ utrinque prudentiâ providentiáque cautum fuerit; quodque Pax ap-

Concluditur ad Eccleſiam pertinere, controverſas fidei judiciali poteſtate dirimere.

pellatur

pelletur *Religioſa*, neutiquam tamen ſit *Spiritualis*, Religioſa quidem, quoniam Religioni data; non verò ſpiritualis, utpotè non dogmatica circa fidem, ſed normalis merè, & tranquillatis publicæ in Imperio regulativa.

(a) Divus Thomas de Regimine Princip. Lib. I. cap. 13.
(b) Act. 20. verſ. 28.
(c) in Novella 123. cap. 21. in fin.
(d) Matth. 18. verſ. 17.

§. XV.

EAdem ratione actus contra conſtitutiones Pontificias Legis Naturalis, vel Divinæ declarativas, ex cathedra promulgatas circa materiam ad morum naturalium, & Evangelicæ veritatis moralis honeſtatem pertinentem, ſaltem quoad forum internum, Eccleſiæ jurisdictioni ſubjiciuntur. *Quod addo:* Quia quandoque ob ſpeciales circumſtantias Poteſtas Civilis in foro externo ejusmodi actus poſthac poteſt & præcipere & permittere. Verumtamen poſtquam aliquid eſſe de fide, ſivè per Sedem Apoſtolicam, ſivè per Concilia Generalia, fuit definitum, & hanc ſic declaratam hæreſin quispiam complexus eſſe convincitur: quod tamen in Germania ſuper receptis ac toleratis Religionibus ſentire non evenit: contrà hunc quoad punitionem, etiam jurisdictionem Poteſtatis Civilis eſſe fundatam non eſt dubium. Ita Zoëſius, (a) & Schambogen (b) notanter punitionem, non verò definitionem

Quinam præterea actus jurisdictioni Eccleſiaſtica ſubſtant.

Punitio Criminis hæreſeos eſt mixti fori.

hæreſeos ad crimina mixti fori referentes, tum quòd aliàs per eam Reipublicæ tranquillitas, & totus rerum omnium ordo convellatur, tum etiam quòd Imperatorum, ac aliorum Principum tanquam Eccleſiæ Protectorum incumbat officio contra contemptores Legum, & Definitionum Eccleſiaſticarum inſurgere, ut ea, quæ ab Eccleſia definita ſunt, validioris ſint obſervantiæ. Hæ ſaltem Leges Catholicorum ſunt, interim hìc locus non vacat, aliorum mentes, aut uſus latiùs attingere. Contrariam quidem ſententiam tuetur Farinac. (c) Benedictus Capræ, (d) Carpzov. (e) Barboſa, aliíque cum gloſſa in cap. *Ut inquiſitionis* 18. *verſ. quoque.* add. Jodoc. Damhauder. (f)

Alii tenent contrarium.

(a) Ad Decretales Gregorii IX. tit. 1. num. 4.

(b) Ad Jus Canon. tit. 2. De Conſtit. num. 34.

(c) De hæreſ. quæſt. 186. num. 252. & de Inquiſit. Lib. 1. num. 127.

(d) Repetit. Jur. Tom. 6. in Clementin. Diſpendioſam. de Judic. n. 32.

(e) Pract. Crimin. p. 3. q. 110. num. 88.

(f) In praxi rer. Crimin. num. 54.

§. XVI.

QUod attinet mentem Aug. Conf. Addictorum, aut ſic dictorum Reformatorum, poſteaquam Proteſtantes in rebus ad Eccleſiam fidémque ſpectantibus Apoſtolicæ Sedis, & poteſtatem & congruum examen recusârunt, œcumenicæque Synodi judicio ceſsêre, quod in limine tantâ contentione omni

omni ex parte deſideratum erat, atque in ea cum Epiſcopis voces deciſivas contra totam priorum Conciliorum formam obtinere contenderunt, ipſis autem non Papam, non Epiſcopum, non Traditiones, ſed ſolam Scripturam dirimitricem Controverſiarum Religionis & reacceſſum ad Eccleſiæ Catholicæ unitatem nonniſi Dei, qui pacis eſt author, ſpeciali aſpirante gratiâ, prout hanc ipſam proloquium Inſtrumenti Pacis Weſtphalicæ ſupponit, ſperare videtur; nam ipſe Solus Sanctus, Solus altiſſimus, ſolus in manu habet cordâ, ut ſicuti quam mundus dare non poteſt, ſed ſuam inſufflat & impertitur Pacem, ita & ſolus infelici germaniæ, quæ triplici Religionis ſpiritu regitur, unum & antiquum ſpiritum nunc miſericorditer reddere poſſit, quo tandem reſtituatur *unum corpus in vinculo Pacis, occurrens in ædificationem Corporis Chriſti in unitate fidei, & agnitionis Fidei Dei.* (a)

An Chriſtiana compoſitio Diſſidii Religionis ſit ſperanda.

Præſensêre idipſum, qui Pacì Weſtphalicæ conficiendæ fuêre præpoſiti, eâque de cauſa *Inſtrumento* dictæ Pacis (b) tam ſanctè, tam ſolertur, ac toties inſeruêre, ut quicunque, ſeu Catholici, ſeu Auguſtanæ Confeſſionis Status die prima Januarii Anni milleſimi, ſexcenteſimi vigeſimi quarti, bona Eccleſiaſtica immediata poſſederint, *ea omnia, & ſingula usque dum de Religionis diſſidiis per DEI gratiam conventum fuerit, tranquillè & imperturbatè poſſideant;....*

Si verò, quod DEUS prohibeat, de Religionis dissidiis amicabiliter conveniri non possit, nihilominùs hæc conventio perpetua fit, & Pax semper duratura.

(a) Ad Ephes. 4. vers. 4.
(b) Art. V. §. 4.

§. XVII.

An bona Ecclesiarum per Pacem Relig. & Westphalicam tutè sæcularizari potuerint?

ACtum hic egerim jam post vulneratam causam movendo quæstionem: An isthæc bona ea tempestate per Pacem Religiosam, ac subsecutam Westphalicam tutò pro dimissis agnoscere ac concedere, sive, ut terminô receptô utar, sæcularizari potuerint? siquidem ut supra statim (in Princip. cap. 2. §. 1.) utramque Pacem per illas temporum ac rerum circumstantias rationabiliter initam, & licitam fuisse asserui, prolixiùs deductum est, hoc loco meminisse contentus, *Sæcularizationis* vocabulum latinæ puritati incognitum, usu invaluisse tempore Pacis Westphalicæ ob sermonis compendium; eoque designatur actus, quo res Sacræ, vel Ecclesiastico nexu in cultum & servitium omnipotentis Dei directè vel indirectè obstrictæ revocantur in conditionem sæcularem, sive ab eo nexu prorsus liberantur.

Principibus non licet bona Ecclesiarum sæculârizare vi alti Dominii.

Ejusmodi porrò Sæcularizationem quidam licere volunt Principibus ex capite Dominii eminentis, quasi res Dei, ac Sancta ejus Ecclesia sint instar privatorum, qui vitam, & quem ipsi trahunt spiritum, communi

ſaluti, nedum bona, obligati ſunt impendere; ajunt enim, qualemcunque hominum cœtum, adeoque & eum, qui vocatus eſt in communionem fidei, & Sacramentorum, intuitu Reipublicæ privatorum conditionem ſubire, ac diſcriminari à Republica, tanquam partem integri ab integro.

Verum utut admittam poteſtati ſæculari jus eſſe exigente neceſſitate, vel magna utilitate publicâ vi Dominii eminentis ſuo modo utendi bonis ſubditorum; eandem tamen rationem eſſe nego & pernego rerum ſacrarum, ac earum, quæ DEO & Eccleſiæ conſecratæ ſunt. In Reipublicæ ſubſidium Princeps aufferre poteſt bona privatis, quoniam & quoad perſonas, & bona ejus poteſtati ſubjiciuntur; bona Eccleſiæ nullius ſunt hominis, ſed DEI ſunt. Quo jure Dominii vindicabit ſibi inferior ea, quæ illata ſunt in Sanctuarium Domini Dei? Valet hìc illud Chriſti: *Date ea, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo,* cujus dominium eo, quod homines ſibi tribuunt, dominio eminenti longè eſt eminentius, nec divagari deſuper neceſſum puto.

Utpote quorum jurisdictioni hæc non ſubſtant, uti bona privatorum.

Unde & in Edicto reſtitutorio Ferdinandi II. dicitur: Eccleſiaſticæ fundationes, ac bona Divini juris ſunt, & ad ſolum Deum, & Eccleſias vigore fundationum pertinent. Quo etiam facit illud S. Ambroſii ad Valentianum Imperatorem, dum Mediolani pro Arrianis Eccleſiam poſceret, intrepidè ſcribentis: (a) *Noli tegra-*

Quod probatur tum Authoritate S. Petrum.

vare Imperator, ut putes in eis, quæ Divina ſunt, Imperiale aliquod jus habere. Hinc patheticè DEUS ipſe (b) conqueritur iratus: *An ſpoliet homo DEUM, quemadmodum vos ſpoliaſtis me? & dicitis, qua in re ſpoliamus Te? decimis & oblatione*, puta: bonis oblatione fidelium DEO dicatis.

Tum ex Sacris literis;

Non igitur tanti eſt dominium eminens, ut manus extendat in bona DEO ſacrata, prout agnovit quoque, etſi gentilis Jurisconſultus Paulus (c) pronuntians: *Quod nullius eſſe poteſt, id ut alicujus fieret, nulla obligatio valet efficere.* Nec perinde jurisdictioni Principum Eccleſiaſticæ Perſonæ, ac Laici ſubſunt, utpote quæ non ſolùm humano, ſed etiam Divino jure à Sæcularium perſonarum exactionibus perhibentur immunes, (d) nec ad collationem ſubſidiorum regulariter obligantur, (e) niſi Epiſcopus, & Clerus tantam neceſſitatem, vel utilitatem conſpexerint, ut abſque ulla exactione ad relevandas communes neceſſitates, vel utilitates, ubi Laicorum non ſuppetunt facultates, id viderint neceſſarium; atque ſpontaneè potius ad conſervandam illam protectionem publicam concurrant, quâ & ipſi feliciter fruuntur & gaudent. Proinde non eâdem decempedâ dominii eminentis in bonis Eccleſiarum, quâ in bonis ſubditorum Principibus eſſe utendum, in aperto eſt.

Tum denique ex jure Canonico.

(a) ùt habet Epiſt. 33. ad Marcellin.

(b) Malach. 3. verſ. 8.

(c) in

(c) in L. 182. ff. de Reg. jur.
(d) in Cap. Quanquam. 4. de Cenſib. in 6.
(e) Juxta Cap. Non minùs 4. ✠ de immunit. Eccleſ.

§. XVIII.

PRæſtat igitur, ſi de Sæcularizatione bonorum Eccleſiæ quæritur, ad neceſſitatem graviſſimam, extra quam Principi hoc remedium adhibere fas non eſt, recurrere; ſiquidem jus illud, quod ea, quæ DEI ſunt, DEO: & quæ Cæſaris, Cæſari reddi præcipit; ac quæ DEO ſemel dicata ſunt, ad humanos uſus amplius transferri prohibet, non eſt ex numero illarum Legum immutabilium, ut bonorum ejusmodi ad priſtinam conditionem ſæcularem translatio non poſſit neceſſitatis circumſtantiâ ſaltem ad tempus, cohoneſtari; ſicut cohoneſtatus fuit actus, quo *D*avid in neceſsitate panes propoſitionis comedit, *quos non licebat ei comedere, neque his, qui cum eo erant, ſed ſolis Sacerdotibus.* Ad quod exemplum Chriſtus ipſe (a) provocat.

Causa unica & vera, ob quam bona Eccleſiaſtica poſſint ſæculariza-ri, eſt ſumma neceſsitas. Aſſertio firmatur ratione.

Quemadmodum quoque urgente duriſsimo neceſsitatis telo Religioſisſimi Hebræorum Reges hoc Sæcularizationis remedio uſi leguntur, ita quidem, ut eos Prophetarum nemo hoc nomine coarguerit. Sic Haſaëli portarum Hieroſolymæ clauſtris incubanti magnam vim auri ex templi Gazophylacio ſublati miſiſſe legitur Joas. (b) Ezechias Aſſyriorum Regi Sennacherib propitiando confringens ipſas templi valvas, nec tem-

Probatur noſtra ex. ipſis exS. Scriptura.

temperans ſibi à laminis proriæ devotionis ardore ſuffixis, & omne argentum, quod repertum erat in domo Domini, ut conflaret ſummam trecentorum argenti, & tringinta talentorum auri, cum propriis theſauris obtulit. (c)

Non potuit aliter reſtitui quies & tranquillitas in Germania, quàm per Saculariza-tionem bonorum Eccleſiarum.

Si lubeat fateri, quod res eſt, in fatali tamque diuturno, quo premebatur Germania bello, ejus in occaſum inclinante fortuna, non aliud conciliandæ Pacis neceſſariæ magis, quàm decoræ remedium ſupererat, niſi Eccleſiaſticorum (quorum reſtituendorum cauſa tantos motus accenderat) bonorum ſæculariza-tio; aliàs vaſtatis omnibus Imperii Provinciis, tot urbibus dirutis, & quaſi ſuis ſedibus evulſis, maxima incolatuum parte, aut hoſtili ferro, aut inediâ conſumpta, neque ſufficientibus poſt tot expenſas aurimyriades in ulteriores expeditiones ærarii viribus, Germaniam in ipſa Germania vix reperturi fuiſſemus.

Dominium bonorum Eccleſiarum per Saculariza-tionem neutiquam translatum eſt in Proteſtantes.

Qua tamen Sæcularizatione non hoc actum dici poteſt, quaſi Imperator ac Catholici in Proteſtantes Status dominium eorum territoriorum à tot ſæculis ad Eccleſias, earumque Miniſtros ſpectantium tranſtuliſſent; non enim eorum dominium Cæſar, aut Principes Catholici ſibi vendicârunt, nec Eccleſiæ non conſentienti adimere potuerunt; at ſolummodò, cum ſpes ea recuperandi, aut defendendi non ſupereſſet, in ſæculi nomina abire permiſerunt, eorum defenſione ſeſe abſtenturos polliciti. Quam tituli juſtitiam

stitiam, & fidei bonitatem Pax Westphalica ipsa per conditionem & formulam hanc: *Donec controversiæ Religionis amicabili partium conventione universali definitæ fuerint*, non obscurè innuere videtur, fors tunc jam memor: *Alia esse judicia DEI, & alia hominum.*

Sæcularizatio itaque bonorum Ecclesiasticorum exigente summa necessitate, maximè ubi ad superiorem Ecclesiasticum aditus aut haberi nequit, vel est perdifficilis, aut periculosus, aut planè frustraneus, ex parte Principis, utpotè permissivè se gerentis, & defensionem subtrahentis extra noxam esse, suadente rerum impossibilitate, confitendum videtur. Extra hunc casum Princeps in Ecclesiæ bona se ingerens non rectè suo fungeretur officio juxta illud: (d) *& erunt Reges Nutritii tui.* Illa verò sæcularizatio, quæ Ecclesiastici superioris consensu & authoritate perficitur, ex causa quoque majoris utilitatis fieri posse, non ambigitur. (e)

Concluditur sæcularizationem bonorum Eccl. in casu gravissimæ necessitatis extra noxam esse.

(a) Matth. 12 vers. 4.
(b) 2. Reg. cap. 12. vers. 17. & 18.
(c) 4. Reg cap. 18. vers. 14. & seq.
(d) Isaiæ cap. 49. vers. 23.
(e) Juxta Cap. 1. & 7. ℵ de reb. Eccles. non alienand.

§. XIX.

PAri ratione ex Cap. 2. §. XIII. circ. princip. abundè liquet, Principem Catholicum suspensâ per Pacem Religiosam, & Westphalicam

An Princeps Catholicus post Pacem Re-

ligionis subditis suis Aug. Conf. addictis ordinationes Ecclesiasticas prascribere possit.?

jurisdictione Ecclesiasticâ Consistoria pro suis subditis Augustanæ Conf. addictis constituendo, ordinationes Ecclesiasticas receptæ Religioni conformes inducendo, licitè ac de jure aggere. Sicut enim ad occurrendum querelis subditorum contra stabilitat suæ Religionis Principia, & dictamina conscientias suas gravari obtendentium, prudenter observandum est, quod pacto conventum fuit; ita vice versa ejusmodi ordinationes juxta traditas eorum Religionis regulas rectè præscribuntur, eo duntaxat fine & principio, ut stabilitâ communiter jurisdictione Ecclesiasticâ, vi potestatis naturalis & Civilis Dominus Territorialis tanquam positum circa ejusmodi sacra Reipublicæ Caput inter subditos tranquillitatem obtineat, quæ nunquam stabit immunis à turbis, si absque Ministris & regulâ populus fluctuans omni vento doctrinæ circum ageretur, cùm tres tantùm in Germaniâ receptæ sint Religiones. Undè sequitur

§. XX.

An Dominus stante Pace Relig. & Westph. novum dogma nec tolerare sed prohibentem docentem punire

ATque, cum jam suprà (§. XV. h. cap. 2.) in genere definiverimus, in quantum Dominus Catholicus contra hæreses intra Territorium suum grassantes ex vi potestatis executivæ procedere possit, in casu, quo jurisdictio Ecclesiastica tuum vigorem retinet; ex illis facile concluditur, privative eundem suspensâ (veluti per Pacem publicam contigit) jurisdictione Ecclesiasti-

siasticâ in Docentes falsam, & non toleratam Religionem, & seditiosis concionum fabellis populum commoventes tanquam Pacis publicæ turbatores, prout delicti gravitas & Reipublicæ status exigit, animadvertere posse & debere. In fomite quippe præstocandum est malum, quando adhucdum crimen in paucis est, ut ad omnes terror & agnitio perveniat, postquam enim contagium majorem populi partem infecit, animique pietatis aut hypocriseos aperte non receptæ glaucomate fascinati sunt, severioribus remediis rem irritari potius, quam sanari tristi experientia, omni ævo compertum est. *possit, & quomodo?*

Quamobrem errantium multitudo, modò à sedi- *Docet id ipsum historia & Eventus tum in Belgio.*
tionibus turbulentis abstineat, benignius habenda, sæpe enim diæta curat, quos phlebotomia perdidisset. Belgium testis est, in quo, postquam Philippus II. Rex Hispaniarum liberis Provinciis Hispaniæ Inquisitionis insuetum, ut illi interpretabantur, jugum imponere statuit, infinitis cladibus Theatrum apertum potius, quam provisum & cautum fuit, nimio Zelo ac fervore Religionem Antiquam à Provinciis, maximam partem Religionis ab obsequio Regis avellente.

Nec felicior fuit in opprimendis per duras Quæstiones in Gallia Hugonotis Franciscus I. *Tum in Gallia,* ejusque Successor Heinricus II. nam sic nex extincta scintilla, nec incendiorum flammæ suppressæ fuerunt, quin potius contra Reges suos

numerosis exercitibus stipati Caput extulêre Viris armisque potentes, ùt Historiæ satis notant.

Non armis, sed viris doctis & pietis præstas errantium multitudinem ad veram & sanam doctrinam Lege Evangelii asserta conciliorum veritate & fide historiæ Ecclesiæ cum lumine ac dono fidei reducere.

Præstat igitur Viros pietate morum, scientiâ & doctrinâ Evangelii, Historicæ Ecclesiasticæ, ac Conciliorum fide præstantes seligere, qui errantes suaviter reducant telis doctrinæ, pietatis & sapientiæ, cum pertinacibus intrepidè, cùm falso Zelo illusis piè ac benigne, cum frigidis seriò, cum dubiis clare ac confidenter, cum omnibus prudenter tractare sciant, studeant ac norint, & quibus vera sæpius Religio calumniosè depingitur, falsò præconceptas opiniones adimere, allaborent.

§. XXI.

Pergnos: Rex Catholicus regio portent.

QUoniam verò, ùt recte docet Concilium Tridentinum, (a) nihil est, quod magis ad pietatem, & DEI cultum assidue instruat, quàm eorum vita & exemplum, qui in sortem Domini vocati se Divino ministerio dedicârunt, danda est opera, ut Episcoporum, Prælatorum & Clericorum vita & mores populo nunquam scandalo, semper sint exemplo.

Præcipue verò tales Catholico gregi præficiendi sunt Episcopi, qui per meritorum suffragia ad Pedum, & Infulam pervenere, ac qui, quæ tuæ sint partes agnoscant, séque ad labores, & sollicitudines pro DEI gloria vocatos esse intelligant. O quantum valet unius Episcopi vigil oculus, ut ab ovili Christi lupos arceat!

quàm

quàm alte in animos fidelium veri Paſtoris illabitur charitas, qui aberrantes requirit oves, ut ad Eccleſiæ ovile exemplo magiſtri Chriſti, præeundo fœliciter ac ſuaviter reducat! cum jugum ejus ſuave ſit & onus ejus leve, nempe volentibus, ac mandatis ejus obedientibus, & cooperantibus.

Si præterita repetamus, quid tot diverſarum opinionum viam patefecit? niſi quòd, ut Epiſtola D. Pauli (b) prognoſticat, tunc vaticinii, nunc veritatis ratio evenerit, atque ùt egregie inquit Florimundus Raymundus, (c) cum nonnulli Paſtorum genio indulgerent, & divitiarum deliciis immerſi in utramque aurem dormirent, tum vetus ille Eccleſiæ militantis hoſtis Diabolus muros Eccleſiæ pluribus in locis male cuſtoditos adoriri opportunum duxerit. Inde ruina populi, inde tot animarum defectio; & quid miri eſt? *Totius Familiæ Domini* (verba ſunt Sacratiſſimi Concilii Tridentini) (d) *Status & Ordo nutare incipit, ſi quod requiritur in Corpore, non inveniatur in capite.* *Unde tot diverſæ Religiones.*

(a) Seſſ. 22. cap. 1. de Reformat.
(b) 2. Timoth. 4. verſ. 3. & 4.
(c) In Hiſtor. de ort. & progreſſ. hæreſ. Lib. 1. cap. 1. num. 2.
(d) Seſſ. 24. de Reformat. cap. 1.

§. XXII.

Dixi (§. XX. in princ.) eos, qui ab Avita ac recepta fide diſcedentes præter Religiones Tolera- *Quare qui præter Tolleratas Relig. novas*

dogmata cudunt, & turbas miscent, severis coërcendi?

leratas in Imperio novas de fide opiniones cudunt, missent turbas, nec moniti desistunt, meritò severius coërcendos esse, sunt enim de facto turbatores Statûs Publici, adeoque geminato sese flagitio contaminant, & sunt contaminatores Legum patriarum.

Non est penes status alias sectas tolerare; licet velint pacificè & privatim vivere?

At nec eos immunes à pœna relinquendos censeo, qui Christianam quidem, attamen falsam & ultra Religionem Toleratam quamvis privatim, ac sine scandalo amplectuntur. Quod enim per Tractatus Pacis Religiosæ, ac subsecutæ Westphalicæ (a) in Imperio Romano-Germanico tribus his Religionibus datum est, in consequentiam non temere producendum est, nec vaga opinionibus omnibus indulgenda libertas; itaque neque tales tanquam insontes relinquendi, nam licet in publicam tranquillitatem non perinde peccent, verendum tamen est, ne tacitum virus dissimulanter in alios diffundant, ideoque à talibus cavendum, monet Apostolus ad Titum: (b) *Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem de vita, sciens: qui subversus est, & deliquit, cùm sit propriò judiciô condemnatus.* Præterquam quod & ipsa Pax Westphalica desuper aperte loquitur.

Quomodo Hæretici sint puniendi?

Et quia pro mensura delicti debet esse correptionis & pœnæ modus, in id genus homines mitioribus plerumque viis, quales sunt confiscatio, relegatio, aut graviorum quandoque onerum impositio, principem uti, non erit inconveniens, ut vel in ipso pœnarum mode-

moderamine dementiam agnoſcant, & temporalium rerum jacturâ perterriti, vel relinquant impedientem animoſitatem, vel illam compellantur amplecti veritatem, pro quâ obdurata aures ſufficere ſtulte aſſerunt. Atque idem ſuggerit Gregorius ille Magnus: (c) *Si Ruſticus, inquiens, tantæ perfidiæ & obſtinationis fuerit inventus, ut ad DEUM minimè venire conſentiat, tanto penſionis onere gravandus eſt, ut ipsâ exactionis pœnâ compellatur ad rectitudinem feſtinare.*

Itaque qui à recepta Religione deſcivit, cogetur indirecte per extrinſecas afflictiones calamitate ſuâ doctus reſpiſcere. Et cur per brachium Poteſtatis Sæcularis non cogeret Eccleſia perditos filios, *ut redirent, ſi perditi filii coëgerunt alios, ut perirent?* (d) *Et ad veram Religionem reducendi?*

(a) Inſtrum. Pac. Osnabr. Art. VII. in fin.
(b) cap. 3. verſ. 10. & 11.
(c) Can. Jam verò. Cauſ. XXIII. Quæſt. 6.
(d) Can. Schismatici Cauſ. XXIII. Quæſt. 6.

§. XXIII.

PRædictis non obſtat, ſi quis objecerit fidem eſſe donum DEI, & quia donum non datur niſi volenti, eam debere eſſe liberam juxta effatum S. Auguſtini: (a) *cætera poteſt homo nolens, credere verò non niſi volens.* Unde optime ſcribit Lactantius: (b) *Quis imponet mihi neceſſitatem vel credendi, quod nolim, vel quod velim, non credendi.* Nam R. Imò: Omnis virtus *Ad object. neminem cogi poſſe ad fidem.* *Reſp. 1mò explicando*

tus est donum DEI, utpote qui est fons, & Author omnis boni, & tamen ob omissum actum virtutis præceptum justè punimur, adeoque qui non allicitur ad illum virtutis amore, pœnarum tamen metu rectè compellitur, porrò fides est & lumen, quod Misericordia DEI nunquam negat, si qui dubius est, sincerè petat, prout in conscientia tenetur.

Resp. 2dò sub distinctione.

Resp. 2dò Fides utique libera esse debet quoad internum assensum, id est: quoad actum credendi, quia potestas humana non potest subditos cogere ad actum internum credendi, potest tamen id quoad actum externum, quia Princeps ad conservandam Pacem in Republica potest prohibere exercitium non toleratæ Religionis, utpotè quod nec tolerare, imò potiùs eliminare speciali conventione adstrictus est.

In primitiva Ecclesia Heretici non fuerunt puniti & quare?

Equidem in Ecclesia primitiva hæreticos pœna corporali punitos fuisse non legimus; neque ea facultas erat ob infidelium potentiam, & fidelium paucitatem, nec eò descendere fuisset expediens propter scandala, quæ tunc facilè potuissent oriri. Postea paulatim puniti sunt, nunc exilio, (c) nunc mulctâ pecuniariâ, (d) nunc amissione omnium bonorum, (e) Denique eis, qui hæresin Eutychianam & reliquas pertinaciter docere dein tentaverint, ultimum supplicium statuerunt Impp. (f) ex quo proinde Conclusio suprà (§. XXII.) posita magis confirmatur.

Diluitur

Si regeras: textus desumptus ex Apostolo

ad

ad Titum (g) inquit : *Hominem hæreticum devita, ſciens, quia ſuperbus eſt*; non autem habet : *occide*. Ergo nihil videtur probare. Rſp. Ex Becano, Apoſtolum non ſcripſiſſe Principi Politico, qui gladio corporali, ſed Epiſcopo, qui gladio ſpirituali, iſt eſt : increpatione & excommunicatione debeat uti, hinc in textu græco legitur παραι τῦ, id eſt : *rejice*. *etiam objectio 2dae*

Quod ſi eo tempore fuiſſent Principes Chriſtiani, quorum Curiæ tradi potuiſſent ab Epiſcopo hæreticus pertinax, & falſa dogmata divulgans, potuiſſet utique Titus Epiſcopus ejusmodi ſeductorem, & à ſe excommunicatum, ſed incorrigibilem gravioribus pœnis ſubjugandum extradere; hæretici enim, cùm per baptiſmum ſint ingreſſi Eccleſiam, tenentur Eccleſiæ tanquam ſubditi parere, adeoque Hæc jus quæſitum habet, quando à fide in baptismo datâ recedunt, eos tanquam rebelles coërcendi, ſiquidem malitia hæretici Eccleſiam jurisdictione ſua privare non debet, proinde caſu quo videt cenſuris & pœnis, quas ipſa infligere poteſt, nihil profici, juſtè implorato Brachio ſæculari utitur ad tollendum ſcandalum de medio populi. Verùm id ea ætate, cùm Imperator, ac Magiſtratus gentiles eſſent, ratio temporum æquè non patiebatur, neque tunc ea introducere traditione Patrum, & Conſenſu Eccleſiæ liberum erat, quæ deinde ſalvâ fidei ſubſtantiâ, aut in meliorem ordinem & frugem redacta, aut aperto uſu, & auſu introducta ac tradita fuêre. *Oſtenditur hæreticos ab Epiſcopis tradi poſſe Brachio ſæculari puniendos.*

(a) Tract. 26. in Joan.
(b) in Lib. V. Inst. cap. 19. Conf. & Ziegler de jur. Maj. Lib. 1. c. 16. §. 3.
(c) L. Arriani 5. Cod. de Hæreticis.
(d) L. Cuncti Hæretici. 3. Cod. eod.
(e) L. Manichæi 15. in fin. eod.
(f) L. Manichæo 11. eod. quæ est epitome ex Eclog. Περὶ Βασιλ. Μανιχαίων c. 25.
(g) Cap. 3. vers. 10.

§. XXIV.

Prudentia pœnæ adversus sectarios non tantùm lata, sed & probabilius exercita fuerunt.

QUidam existimant, prædictas pœnas (§. XXIII. circa med.) potius ad terrorem latas, quàm exercitas fuisse; veriùs tamen est, etiam meritò illas hæreticis fuisse inflictas, quippe qui teste Baronio (a) maxima ex parte Magi, & ut S. Leo (b) scriptum reliquit, fuerunt perversissimum hominum genus, in quod quasi in quandam sentinam cum turpissimarum sordium concretione scelus omne confluxerat.

Eadem causa impulit S. Augustinum, ut, (quamvis scripsisset, (c) nondum scilicet expertus, quantum mali hæreticorum auderet impunitas: *Nemini bono in Ecclesia Catholica placuisse, si usque ad mortem in quenquam licet hæreticum sæviatur*) Bonifacio Africæ Proconsuli suaserit, pœnis adhibitis Donatistas & Circumcelliones in viam veritatis reducere, siquidem vias insidebant; multósque, ùt infectores sui

essent,

eſſent, ſeducebant. Anabaptiſtas tanquam fractæ Pacis reos, & ſeditionum incenrores igne ac ferro delendos Comitiali Cæſaris, ac Statuum Imperii conſenſu concluſum oſtendit Receſſus Imperii Spirenſis, ſive conſtitutio de Anabaptiſtis Anno 1529. primitus facta, atque poſtea Anno 1544. & 1551. renovata.

Receſſus Imperii An. 1529. de delendis Anabaptiſtis.

Nec minus in tabulis Pacis Weſtphalicæ (d) ſubditi Catholicorum Auguſtanæ Confeſſioni addicti, & vice verſa diverſam à Territorii Domino, toleratam tamen, Religionem profeſſi, quando *nec ſponte migrare volunt, nec à Domino juſſi ſunt*, (e) ea conditione parienter tolerantur, & conſcientiâ liberâ devotioni ſuæ vacare, vel in vicinia, ubi & quoties voluerint, publico Religionis exercitio intereſſe non prohibentur: *Si officium ſuum cum debito obſequio, & ſubjectione adimpleant, nullisque turbationibus anſam præbeant.*

Qua conditione in Imperio ſubditi diverſa à Domino Territorii, tolerata tamen Religioni addicti tolerantur.

Quam ob rem ſi bonis retentis emigrare poſſint, ac debeant ii, qui diverſam, attamen Legibus Imperii non damnatam Religionem colunt; quis iniquè agi dixerit, ſi ſubditi ſpecie Religionis turbida, & factioſa molientes gravioribus pœnis, Lege verò publica vetitam licet privatim, ac ſine ſcandalo ſectantes, exilio, vel ſi plures in ejusdem farinæ hæreſin lapſi copioſius emigrando Rempublicam pecuniis ſpoliarent, publicatione bonorum mulctentur?

Concluditur Hæreticos ſeditioſus juſtè puniri.

(a) Ad Annum Christi CCLXXVII.
(b) Sermon. 5. de jejun.
(c) Lib. III. adversùs Crescónium.
(d) Art. V. §. placuit porrò 34. per tot.
(e) Sic enim debet intelligi cit. §. 34. ne contradicat §. *Quod si verò subditus.* 36. d. Art. V.

§. XXV.

Principii duo sunt cavendi scopuli, subditis in alienas à sua Religione distractis. Primus scopulus: Politica timiditas.

DElicata profectò & perplexa res est, Principem agere, populis in alienas à sua Religiones distractis, duósque cavendos habet scopulos, hinc *Politicam timiditatem*, inde *præsumptuosam præcipitantiam.*

Quandoque Principes hæreses in suis ditionibus serpentes sub prætextu, seditiones, aliáve Reipublicæ mala evitandi, passi fuerunt adolescere, timentes ubi non erat timor, dehinc justo DEI judicio, cujus causam segniùs egerunt, aut planè neglexerunt, deserti, evitare cupientes charybdim, impegerunt in scyllam, eáque, quæ tam cautè sibi videbantur effugere, sensêre graviora discrimina.

Quomodò securè subditi ad veram Religionem reducendi; Probatur ex Historiâ Sacrâ.

Obviandum est Principiis, & nec ignavo timore ad insanientis plebeculæ minas statim dimittendus est animus. Integerrimus Regum judæorum *Josaphat* populum nactus idololatriæ mordicus inhærentem exemplo sit, quantum firma in Deum fiducia, & Zelus solerti prudentiâ temperatus ad subditos ad veræ Religionis studium reducendos valeat; quando sacer textus, (a) hoc inter ejus encomia collocat: *Cúmque*

sumpsisset

ſumpſiſſet cor ejus audaciam propter vias Domini etiam excelſa, & lucos de Juda abſtulit.

Quod alterum attinet ſcopulum, is eſt cæca, & incauta præcipitantia, quæ quidem Principes oſtendit ferri Zelo Religionis, ſed non eo, qui ſit ſecundum Legem & ſcientiam, prout Magnus ille David (b) *ſe* comedi *Zelo Domini*, *non* devorari *contavit*. Videre fuit Principes indiſcreto id genus impetu populi ſui reformationem urgentes, dum ſubditorum quietem turbârunt, ſolio deturbatos, nec Religionem tamen introductam, quod ſatis ſupérque edocent hiſtoriæ.

Alter Scopulus: Præſumptuoſa præcipitantia.

Eſt igitur habenda ratio virium temporumque, ac circumſpectè conſiderandum, quo in ſtatu ſint ejus ditiones, & an paucos, an verò multos habeat ſubditos alienæ à ſua, & non toleratæ Religioni addictos? Si enim totum ejus populum, vel maximam ejus partem viderit ultra Leges Pacis Weſtph. heterodoxam, non poterunt Zizania ſine tritici ſimul deſtruendi periculo extirpari, ideoque ingentes rerum converſiones declinaturus diſſimulatione & ſibi, & ſubditis profi-cuâ utatur, leniter ac ſenſim procuret, ut ignorantibus lux veræ doctrinæ oboriatur, & errantium in rectam viam reducantur animi.

Quid Principi conſiderandum ſubditis in alienam à ſua Religionem diſtractis.

(a) Lib. 2. Paralip. cap. 17. verſ. 6.
(b) Pſal. 68. verſ. 10.

§. XXVI.

Quaratione subditi ad Principis sui Religionem reducendi.

QUin imò id cuilibet observandum Principi volenti subditos ad fidem, quæ recepta est flectere, ut eos de veritate illius sufficienter faciat erudiri; quomodo enim credent si non audiant, à quo intelligunt, quid eis sit credendum; quod nisi fiat, eveniet, ut subditi, dum malè credere prohibentur, bene autem credere non docentur, nihil credant, vel credere sciant, devolvanturque in abyssum aut Atheismi, aut Libertinismi, aut Religionis delirii ac subsannationis.

Subditis providendum de Sacerd. probis & doctis circa negot. Religionis.

Providendum igitur de Sacerdotibus probis ac eruditis, qui scientiâ præstent, verbo moveant, exemplo trahant ad agnitionem veritatis. Ideam hujus rei in prælaudato *Josaphato* exhibet sacer Codex; (a) Is enim, cum hanc ob causam, eversis licet à patre Idolorum fanis ac statuis, & idololatriæ exercitio totâ Judæâ proscripto, populum tamen ad veteres cultus redire videret, quòd vanitatem Idolorum non satis esset dedoctus, adnitente Sacrorum Pontifice novem Levitas assumpsit, duósque Sacerdotes ordinavit tanquam Missionis munus obituros, qui errorem idololatriæ è mentibus populi evellerent, & Legis Divinæ observantiam inculcarent; utque majus daret prædicationi pondus, quinque viros Principes Sacræ Legis Doctoribus superaddidit, qui Levitarum conatus sua authoritate promoverent.

Postquam ita Religionis veritas populo sufficien ter est proposita, non habet, quòd Religionem sibi conqueratur obtrudi, sed similis est iis, *qui à veritate auditum avertunt, & adfabulas convertuntur,* (b) siquidem vel laborat ignorantiâ affectatâ, vel saltem vincibili, eoquòd nolit Verbi Divini prædicationi aures mentémque applicare, vel si veritatem agnoscat, in retribuenda perfidia est pertinax, ideoque nisi pactis publicis aliter, uti in Germania nostra, Pace Religiosa, ac Westphalicâ cautum sit, intrare in Ecclesiam, est compellendus, idque etiam quoad eos, qui in Imperio Romano-Germanico Anno 1624. exercitium unius ex tribus Religionibus publicum vel privatum non habuerunt, ita tamen, ut non nisi migratio eis injungi possit, (c) est intelligendum.

Qua ratione populus de adempta libertate Religioni conqueri non potest.

(a) Paralip. Lib. 2. cap. 17. vers. 7.

(b) Rom. 10. vers. 14.

(c) Juxta Art. V. §. 36. Instrum. Pacis Osnabrug. verbis: Quod si verò subditus, qui nec publicum, nec privatum suæ Religionis exercitium Anno millesimo sexcentesimo vigesimo quarto habuit, vel etiam, qui post publicatam Pacem, Religionem mutabit, sua sponte emigrare voluerit, aut â Territorii Domino jussus fuerit, liberum ei sit, aut retentis bonis, aut alienatis discedere, retenta per ministros administrare, & quoties ratio id postulat, ad res suas inspiciendas, vel persequendas lites, aut debita exigenda, liberè & sine literis commeatûs adire.

§. XXVII.

§. XXVII.

An Augustiss. Imp. in terris Protestantium jure Primariarum Precum gaudeat? & quo jure?

QUandoquidem de rigore sive severiùs, sive moderatius pro varietate circumstantiarum in Heterodoxos non toleratos à Principe Catholico exercendo, de iis verò, qui Religionem Lege publica admissam profitentur, tolerandis, hactenus verba fecimus, incidit dubium: An Augustissimus Imperator in terris Protestantium jus Primariarum precum exercere possit?

Quæst. hæc ante P. W. valde fuit agitata.

Equidem antè Pacem Westphalicam id reperio valde fuisse controversum. *Imò:* Quòd plures contenderent hoc jus Imperatoris Augustissimi dependere ab indulto Apostolico, consequenter cùm in Protestantium terris Papæ jurisdictio sit suspensa juxta tabulas Pacis Religiosæ, (a) ubi conventum dicitur, *ut Ecclesiastica jurisdictio .... adversus Augustanam Confessionem, Religionem, Fidem, Ministrorum constitutionem, Ecclesiasticos ritus, ordinationes, Ceremonias, quas instituerunt, aut instituri sint, usque ad finalem Religionis compositionem non exerceatur*; idcirco ipsum quoque jus Primariarum precum suspensum videri; Papa enim non plus juris in Imperatorem transferre potest, quàm ipse habeat, & quod effectus reguletur ex sua causa, nec possit causa secunda ultra illud, quod infunditur à causa prima. (b)

Ratio dubitandi ima.

Deinde: pro negativa facere existimabant, eandem Pacem Religiosam, (c) cum ibi quo-

2 ratio dubitandi.

que

que ſancitur, Status Imperii fundationes, Monaſteria, & alia bona Eccleſiaſtica ante Tractatum Paſſavienſem occupata retinere debere pacificè.

At verò ſuperveniens Pax Weſtphalica Osnabrugenſis huic controverſiæ colophonem impoſuit, (d) quando conventum: *ut ubi Sacra Cæſarea Majeſtas jus Primariarum Precum exercuit, id etiam impoſterum exercere valeat; dummodò decedente Auguſtanæ Confeſſioni addicto in ejus Religionis Epiſcopatibus eidem Confeſſioni addictus ad normam Statutorum, & obſervantiæ idoneus precibus fruatur.* Et hoc in loco Inſtrumentum Pacis Weſtphalicæ loquitur de Epiſcopatibus, & locis immediatis. De mediatis tamen pariter in eo (e) conventum: *Ut in quibuscunque etiam fundationibus mediatis Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto die primâ Januarii Sacra Cæſarea Majeſtas primarias preces exercuit, exerceat eas impoſterum ad modum circa bona immediata antea explicatum*; cum hac tamen differentia, ut obſervat Henninges *in meditat. ad Inſtrum. Pac.* Quod in beneficiis, quæ vacant in capitulis, ac locis immediatis Cæſari ſimpliciter & ſine ulla reſtrictione ſit facultas exercendi Preces Primarias, ubi eas antea exercuerat; in bonis econtra mediatis non aliter, quam ſi eas Anno 1624. primâ die Januarii exercuerit. Rationem allegat, quòd cavere voluerint Status Proteſtantes, ut Imperatori quàm minimum in conferendis bonis Eccleſiaſticis mediatis ſit arbitrium.

Predicta Quæſt. deciſa in P. W.

tum quoad loca immediata,

tum etiam mediata.

Notatur differentia inter utraque loca,

(a) De Anno 1555. §. Damit auch. 20.
(b) Ibid. §. Dieweil aber. 19.
(c) L. Pede §. prædium. ff. de Legat. 2.
(d) Art. V. §. Ubi Sacra Cæsarea Maj. 18.
(e) Sc. in §. omnia quoque Monasteria. 26. d. Art. V.

§. XXVIII.

Antiquitas Juris Primariarum Precum.

CÆterum undè Jus Primarias Preces dirigendi natum, & quòd antiquissimæ potius consuetudini, ac exercitæ præscriptioni natales debeat, ex sequentibus facilè dijudicandum erit.

Nam hoc palmare argumentum est, quod nullus hactenus repertus sit Historicus, qui Authenticum hujus concessionis Cæsaribus factæ instrumentum produxerit; quin imò fatentur ipsi scriptores passim ante tempora glorioſissimi Rudolphi I. Imperatoris, quem comperimus vixisse Anno 1273. nullum reperiri diploma harum Primariarum Precum, sed in illo Rudolphi expressam esse antiquam consuetudinem Prædecessorum preces dirigendi. En formula Precum Rudolphi I.

Preces Rudolphi I. Imperatoris.

„(a) Rudolphus &c. Cùm *ex antiqua, & approbata*
„*à Divis Imperatoribus, & Regibus ad Nos producta*
„*consuetudine*, quælibet Ecclesia in Nostro Romano
„Imperio constituta, ad quam Beneficiorum Ecclesia-
„sticorum pertinet collatio super unius collatione Be-
„neficii Precum Nostrarum primarias admittere tenea-
„tur; Devotionem Tuam rogamus, quatenus huic
„Clerico de Ecclesiastico Beneficio, quod ad tuam col-
„lationem

„lationem attinet, ob reverentiam Sacri Imperii ſtu-
„deas liberaliter providere. Datum anno Regni noſtri
„primo.

Carolus IV. Imperator inauguratus Anno 1345. Primarias preces quoque direxit eâdem aſſertâ antiquâ conſuetudine. Formula illarum precum (b) hæc eſt: *Preces Caroli IV. Imperatoris.*

„*Cùm itaque* Nobis *tam de jure, quàm antiquâ, &*
„*approbata conſuetudine hactenùs obſervatâ* compe-
„tat, quòd ex Coronationis noſtræ ſolenniis in quo-
„libet Monaſterio in Imperio conſtituto unam tantùm
„perſonam virtute Primariarum Precum Noſtrarum
„ad Beneficium Eccleſiaſticum facere poſſimus pro-
„moveri. Hinc eſt, quòd pro Petro Conradi vobis
„Primarias dirigimus Preces Noſtras, Devotionem
„veſtram hortamur, & per Regalia ſceptra mandan-
„tes, quatenus præfato Petro de Beneficio Eccleſia-
„ſtico, quod vacat ad præſens, vel quod primùm va-
„caverit, ad veſtram collationem ſpectans, authorita-
„te Primariraum Precum Noſtrarum providere debea-
„tis, quavis contradictione ceſſante, jus noſtrum &
„*dictam conſuetudinem* in præmiſſis nobis taliter ſer-
„vaturi, prout jura, & liberalitates vobis, & dicto
„veſtro Monaſterio à Prædeceſſoribus Noſtris datas
„Nos delectat non minuere, ſed augere.

(a) apud Goldaſtum conſtitut. Imperial. Tom. III. pág. 406.
(b) Quam exhibet idem Goldaſt. Tom, I. pag. 343.

§. XXIX.

Principi in ſpiritualibus non directiva.

NOn igitur in prædictis (§§. XX. XXV.) Princeps indebitam ſibi poteſtatem uſurpat, qui ea, quæ poteſtatis ſunt directivæ in Eccleſia, rebusque ad fidem, ac ſpiritualia pertinentibus jurisdictione Eccleſiaſtica in vigore exiſtente non attingit; Princeps intra Eccleſiam eſt, non ſupra oves eſt, non Paſtor, *diſcere debet, non docere, quod ad Religionem competit;* (a) nam *ad Sacerdotes DEUS voluit, quæ Eccleſiæ diſponenda ſunt, pertinere, non ad Sæculi Poteſtates, quas ſi fideles ſunt, Eccleſiæ ſuæ Sacerdotibus voluit eſſe ſubjectas.* (b) Ac per conſequens declarationibus Eccleſiæ in materia Articulorum fidei, ac morum nec non Conſtitutionibus Eccleſiaſticis circa ritus, & cæremonias cultûs Divini morem gerere séque ſubmittere tenetur, ipsíque circa hæc poteſtas duntaxat executiva relicta eſt.

Sed tantùm executiva poteſtas competit.

(a) Can. ſi Imperator. 11. Diſt. 96.
(b) Ibidem paulò poſt.

§. XXX.

Viciſſim Poteſtas Eccleſiaſtica ſub ſpecie decentiæ non debet involare in jurisdictionem ſæcularem,

NOn tamen usque eò hæc extendi velim, quaſi & eo caſu, quo ſub ſpecie decentiæ, & cujusdam convenientiæ tantum ad finem ſpiritualem non neceſſariæ, quædam ordinantur à Poteſtate Eccleſiaſtica circa temporalia, quæ in grave detrimentum Reipublicæ redundatura prævidentur, Princeps pedibus in ſententiam concedere cogatur. Nam ſicuti mutuam ſibi manum

manum & operam præstare debent Ecclesiastica & Politica potestas, ita non ferendum, ut illa decentiæ cujusdam, vel congruentiæ ad finem spiritualem non necessariæ prætextu in alterius jura, & jurisdictionem involet, eámque suis ordinationibus importunè perturbet.

Sed utrique Potestas mutuam sibi præstare manum.

Hoc enim foret Divinæ ordinationi adversari; quæ fatente Nicolao Papa; (a) *Officia Potestatis utriusque discrevit, ut Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantummodò rerum Imperialibus Legibus uterentur.*

Probatur tum Auctoritate.

Et facit ratio, quòd Summi Principis Sæcularis potestas in sua sphæra sit suprema, nec à spirituali potestate in cursu temporalium dependeat, adeoque ab illa in assecutione sui finis impediri non potest citra scandalum, & collisionem Ecclesiæ, ac Reipublicæ.

Tum ratione.

Quodsi in ejusmodi quidpiam incideret, præsumendum erit, Pontificem, aliumve Prælatum Ecclesiasticum sic statuentem, quod in Civitatis præjudicium vergit, de hoc præjudicio informatum non fuisse, aut monitum hoc non velle. Siquidem *Ecclesia*, quam repræsentat Summus Pontifex, ac respectivè cujuslibet Ecclesiæ Episcopus & Prælatus, utpote *cultrix & Autrix justitiæ, non patitur contra justitiam aliquid fieri in se, vel in alterum.* (b)

S. Pontifex, aliisque Prælati Ecclesiastici non præsumuntur quidquam statuere in præjudicium Reipublicæ.

(a) in Can. Cùm ad verum. 6. Dist. 96.
(b) Cap. Si Clientulus I. Feud. 10.

§. XXXI.

Quod si tamen hujusmodi quidpiam accideret, Moderati Principis partes sunt, consulere Theologos.

SApientis itaque, & Moderati Principis hæ sunt partes, ut adhibitis in consilium viris Theosophiæ scientiâ, & vitæ integritate præditis, semoto fuco, ac adulatione, & solâ rei veritate inspectâ judicantibus, super ea re deliberet, qui si lata constitutione Ecclesiastica iniquè gravari subditos repererint, opportuna erit occasio pro amoliendo id genus gravamine ad Ecclesiasticum superiorem recurrere. Illicò enim ad arma & extrema bellorum provolare, præcipitis esset ferociæ, exitusque plerumque funesti. Si nulla propositis ex lata Constitutione Ecclesiastica provenientibus incommodis subsequatur satisfactio, aut constitutionis publicè præjudicioſæ revocatio, Princeps non protestari duntaxat, sed & per viam defensionis ex jure Naturali sibi competentis, non item jurisdictionis, ea poterit adhibere remedia, quibus illæsa serventur temporalia; Neque enim convenit solam commoditatem, & congruentiam finis spiritualis necessitati, ac damno finis temporalis præponderare, sed prout in Evangelio (a) conspiciuntur *duo gladii*, sic ibi pro Christiano quoque *prudentia serpentum* (b) passim consulitur.

Nec illico ad arma de currendum;

Sed alia defensionis remedia adhibenda.

Bulla Cœnæ in hujusmodi casu ad causam non faciet, illa enim loquitur (c) de iis, qui causas spirituales, & spiritualibus annexas avocant à judicibus Ecclesiasticis, quive executionem literarum Apostolicarum

Rat. ad object. 1. ex Bulla Cœnæ desumptam

licarum quomodolibet impediunt, niſi ad Pontificem informandum ſupplicent, & ſupplicationes proſequantur. Hìc autem verſamur in caſu, quo Poteſtas Eccleſiaſtica ſub prætextu puræ convenientiæ in cauſis merè temporalibus aliquid præcipit, vel prohibet.

Licet porrò in eadem *Bulla Cœnæ* (d) anathemate feriuntur, qui ſtatuta, Ordinationes Pragmaticas, ſeu quævis alia Decreta in genere, vel ſpecie ex quavis cauſa & quovis quæſito colore, & contra immunitatem Eccleſiaſticam fecerint, vel factis, vel ordinatis uſi fuerint, quibus aut Sedis Apoſtolicæ, aut quarumcunque Eccleſiarum juribus directè, tacitè, vel expreſsè præjudicatur; Nec tamen Sedes Apoſtolica, ſi quas Conſtitutiones non informata, ſenſu humano faciat in gravamen ſubditorum in Cauſa merè temporali præcisè titulô inconvenientiæ coloratas, aut quia Clericis expedit & convenit, jus aliquod ſuum fundatum poteſt aſſerere, adeoque extra territorium & ſupra jurisdictionem jus dicenti impunè non paretur. (e)

Satisfit object. 2. ex eadem Bullæ.

(a) Luc. 22. vers. 38.
(b) Matth. 10. vers. 16.
(c) in § Item excommunicamus. 14.
(d) & 5. ſeq. 15. in quibus duobus §§. contineretur, ſi quid eſſet, quod allegari poſſet, neuter tamen de caſu præſenti h. §. diſponit.
(e) L. fin. ff. de jurisdictione.

§. XXXII.

§. XXXII.

Dicta declarantur Exemplo.

QUæ modò dicta sunt (§. præced. in fin.) pro meliori intellectu declarari possunt exemplo, quòd ponit FRANCISCUS de ARAUXO (a) in Rege Catholico, Madriti, & Cordubæ vendente cuidam privilegium, ut ipsi soli liceat locare & commodare pro certo pretio paramenta nigra, candelabra, & similia pro exequiis Defunctorum. *Quid* dicendum, si huic se opposuisset aliquis superior Ecclesiasticus, ex hoc capite, quòd convenientiùs fuisset, ut cùm cadaver, & funus ad Ecclesiam pertineat, eidem quoque hoc lucrum relinqueretur? Utique ab eo ratio quædam convenientiæ allegata fuisset; ex eo tamen nemo intulerit, privilegiato propterea usum privilegii justè potuisse impediri, si Ecclesiam habentem similia paramenta prohibuisset aliis ea elocare; siquidem præterquam quòd Ecclesiæ & Clericis negotiari sit interdictum, per hoc privilegium nihil fuit inhibitum, quod esset proprium Ecclesiæ, ùt Ecclesia est, sunt enim hæres merè temporales, utpote quæ (b) *dicuntur magis vivorum solatia, quàm subsidia mortuorum;* adeoque Prælatus ejusmodi privilegio sese opponens frustra sub convenientiæ specie quæstus fuisset lædi libertatem Ecclesiasticam.

Quid in similibus casibus observandum?

In casibus igitur similibus, ubi Ecclesia & Respublica tamquam duæ Civitates considerantur,

tur, non aliter eſt pugnandum, quàm ut rite & pacatè omnia fiant, eò connitendum eſt, ut adhibito compoſitionis ſubſidio, quælibet Poteſtas ſeſe intra ſuos limites prudenter, moderatè ac cum reciproca veneratione contineat, præcepto illo Evangelico: (c) *Relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.*

(a) Diſp. 12. de Stat. Civ.
(b) Can. Animæ. C. XIII. Quæſt. 2.
(c) Matth. 5. verſ. 24.

Concluſio totius Diſſertationis

Atque hæc pro Inſtituti noſtri ratione de nobiliſſima & graviſſima Religionis materia, cujus in Sacro Romano Germanico Imperio noſtro frequentiſſima occurrunt dubia, quæ non ſolùm in ſupremis Imperii tribunalibus, ſed etiam in Comitiis vix non in quotidie controvertuntur, ùt potui, & debui Catholicorum more, quin ex integro compaciſcentium omnium animo, candidè ac veraciter diſſerere placuit. Néve juſtos Diſſertationis limites exciſſiſſe increper, hìc pedem ſiſto, fertiliſſimumque ſcribendi campum ingreſſus, ſpicilegiis his paucis collectis abeo; hac tamen Lege, ut quicunque hæc tanget, absque omni contentionis, & calumniæ Zelo animum unà mecum afferat tum ab omni partium ſtudio alienum, tum ab omni diſputationis non fundatæ pruritu liberum, quem & ego omni ex parte ſanum ſincerè profiteor.

O. A. M. D. G.

SEMI-CENTURIA SELECTISSIMORUM EX VNIVERSO JVRE PARERGORUM.

Ex Jure Naturæ & Gentium.

I.

QVamvis Jure Naturæ & Gentium Venatio libera videatur; Hodie tamen jus venandi subditis rectè ademptum est, ac solis appropriatum Principibus;

II. *Non quidem ex Præscriptione conjunctâ subditorum patientiâ, uti volunt Zoannet.* De Duplici Venat. num. 79. & 84. *aliisque plures, quos allegat Arnis.* Lib. 3. de Jure Majest. Cap. 4. num. 9.

III. *Sed potiùs supremo Jure Regalium præsertim in Germaniâ nostrâ, ac consensu Gentium, nec non propter publicam utilitatem, quæ commodis privatorum præponderare debet, ademptio hæc defenditur.*

IV. *Defensio est Juris Naturalis, quæ tamen fieri debet cum moderamine inculpatæ tutelæ.*

V. *Præscriptio quoque valdè conveniens est Juri*

Natu-

Naturali, & bonâ fide ſubnixa in utroque foro locum habet.

VI. *Non habet Edictum Prætoris locum, ubi in bello per vim promiſſa extorquentur, bellum enim omne propter pacem ſuſcipi debet; Undè conditiones non niſi violentæ, & invitis ferè proponuntur, quas, ſi Principem violare poſſe dicis, bellorum Jura unâ manu ſuſtuleris.*

Ex Jure Canonico.

VII. *IN concurſu electionis factæ à plus quàm tertia parte cum poſtulatione, acquiritur Jus electo, adeò, ut is præferendus ſit poſtulato per majora.*

VIII. *Matrimonium clandeſtinum ita eſt nullum, ut nequidem valeat in vim Sponſalium.*

IX. *An pœnæ per Jus Civile binubis impoſitæ à Jure Canonico ſint ſublatæ? ℣. ſub Diſtinctione.*

X. *Non ſolùm arrhæ in Sponſalibus poſſunt intervenire, ſed etiam illis adjici pœna Conventionalis.*

XI. *Sponſalia puberum etiam Juramento, aut voto firmata validè & licitè mutuo diſſenſu tolluntur.*

XII. *Qui neglectâ priori Sponsâ de futuro, aliam ducit de præſenti, hâc mortuâ tenetur ducere priorem, ſi illa interim juri ſuo non renunciaverit.*

XIII. *Teſtamentum deſtitutum debitis ſolennitatibus, ſi non ſit privilegiatum, eſt nullum etiam in foro conſcientiæ.*

XIV. *Tempus petendæ reſtitutionis probabilius incipit currere à die læſionis.*

XV. JUs *Primariarum Pecum Augustissimus Imperator legitimè exercet.*

XVI. *Sicut Principi Catholico post Pacem Religiosam eadem Jura, quæ Status Augustanæ Confessione addicti in suos exercent, etiam in subditos Protestantes competunt;*

XVII. *Ita & Status Imperii Aug. Conf. Additus Jurisdictionem Ecclesiasticam, quam in Anno Normali in suos subditos Protestantes habuit, si Antiquam Religionem Catholicam amplectatur, non amittit, cauto in ipsa VVestphalicâ Pace & Generali, & speciali rerum ac verborum complexu, regulâ & modo.*

XVIII. *An Statibus Imperii inconsulto Imperatore bellum gerere sit permissum?* Bz. *sub distinctione.*

XIX. *Etsi Camera Imperialis cum Consilio Imperiali Aulico concurrentem habeat Jurisdictionem, attamen cùm agitur de Feudis Imperii Regalibus, solus Imperator est Judex competens.*

XX. *Nec refert, sivè de integro feudo agatur, an de certâ ejus parte, veluti dimidiâ, tertiâ quartâ &c. unde non probamus illorum sententiam, qui propter dictionem* gäntzlich (*Constit. in Tit. 7. Part. 2. Ordin. Cam. Imp.*) *non aliter locum dant, quam si de toto controversia sit.*

XXI. *Regalium Feudorum investitio soli Imperatoriæ Majestati in signum eminentis dignitatis ac supremæ potestatis Imperii in ipsum collocatæ reservata debetur.*

XX. Pri-

XXII. *Primo-Genitus Juri ſuo ſimpliciter renunciare poteſt, non autem in præjudicium ſecundo-geniti cedere illud alteri.*

XXIII. *Filius Primo-geniti in ſucceſſione Avitâ potior eſt patruo.*

XXIV. *An Vaſallus Feudum alienans, & incontinenti recuperans ſubjaceat pœnæ privationis?* R. *ſub Diſtinctione.*

XXV. *In Feudo fœmineo etiam circa ſpeciale pactum fœmina ſuccedit.*

XXVI. Fœmina per maſculum à ſucceſſione ſemel excluſa, perpetuò excluſa cenſetur: *apophtegma dicitur commune, ſed eſt vel planè inutile, vel vitioſum;*

XXVII. *Quodſi verò rectè formetur Status Controverſiæ, Quæſtio eſt minimè difficilis, & perplexa.*

Ex Jure Civili.

XXVIII. *Usufructuarius non ipſam omninò uſusfructûs ſervitutem, ſed ſolam fructuum percipiendorum commoditatem alienando in alium transferre poteſt.*

XXIX. *Cautio uſufructuario quamvis ab hærede, non tamen à teſtatore remitti poteſt.*

XXX. *Mulier ratione dotis, omnibus mariti Creditoribus etiam expreſſam anteriorem hypothecam habentibus præfertur.*

XXXI. *Fidejuſſor qui ſe ùt Principalem obligat,* **wann er ſich als ſelbſt Schuldener verſchreibet,** *exceptioni Ordinis adhuc gaudet.*

XXXII. *Tranſigenti, & ſe ultra dimidium læſum*

con-

conquerenti beneficium **L. 2.** Cod. de rescind. vendit. *neutiquam competit.*

XXX. *Hoc subtiliter controvertunt Doctores: An inter verbaliter tantum conjunctos in legatis detur Jus accrescendi? Nos affimativæ sententiæ, ceu veriori suffragari non veremur.*

XXXIV. *Bonæ fidei possessor tam naturales, quàm industriales fructus suos facit, consumptos quidem irrevocabiliter, etiam in quantum factus est locupletior.*

XXXV. *Filius fideicommisso universali gravatus præter suam legitimam deducit quoque Trebellianicam.*

XXXVI. *Tam Trebellianicæ, quàm Falcidiæ detractio à testatore prohiberi potest; sed propter neglectam inventarii confectionem hæc amittitur, non illa.*

XXXVII. *Negant quidem multi Theologi à Filiofam. exceptionem SCti Macedoniani in foro poli tutè opponi posse, quibuscum facit Fachinæus* Controvers. Jur. Lib. 2. Cap. 62. *at contra Ludov. Molina* de contract. Tract. 2. *Disp.* 301. *num.* 2. *Panormit.* in Cap. quia plerique *X.* de immunit. Eccles. *num.* 26. *& seqq. quorum sententiæ tanquam communiùs receptæ accedere non dubitamus.*

XXXVIII. *Debitor pecuniæ sciens se debere, non est in conscientiâ liber ab obligatione post lapsum* 30. *annorum, adeoque condictioni certi ex mutuo indefinitè contracto non præscribitur longissimo tempore cum scientiâ juris alieni.*

XXXIX. *Sicut & juri luendi pignoris nunquam præscribitur, quæ sententia receptior est per eos, quos longâ serie allegat Berlich.* Part. 2. Concl. pract. 3. num. 26. *& expressè probata in Camerâ Imperiali Gail.* 2. Obs. 18. num. 4. *Mynsing.* Cent. 1. Obs. 16.

XL. *Illa semper nobis visa est verisimilior, & adhuc videtur sententia, quæ Juramento Judiciali locum non indulget, si actor penitùs nihil probaverit, neque ulla præsumptione adjuvetur.*

XLI. *Substitutus in unum Casum, v.g. impotentiæ, censetur etiam substitutus in alterum casum sc. nolun-tatis, & vicissim.*

XLII. *Tantùm ex causis in Nov.* 115. *expressis & non ex aliis, licet æquè gravibus, aut gravioribus facta exhæredatio valet.*

Ex Jure Criminali.

XLIII. *Constitutiones Carolinæ pœnales, vulgò:* **die peinliche Hals-Gerichts-Ordnung**, *neque rationalibus Consuetudinibus, neque laudabilibus locorum statutis derogant.*

XLIV. *In Causis Capitalibus fœminæ quoque testes esse possunt.*

XLV. *Assertio Vulnerati in articulo mortis non est sufficiens indicium ad torturam.*

XLVI. *Planè sine tormentis, atque etiam tormentorum repetitione de Crimine satis superque convictum, licet nihil fateatur, ultimâ condemnari sententiâ nihil vetat.*

XLVII. *Si delictum in confinibus commissum sit, utri-*

utriusque Territorii Judicis fundatam esse Jurisdictionem, ut locus sit præventioni, asserimus.

XLVIII. *Controversus est & ille casus: Mevius nemine præsente & vidente Titium interficit, super hoc autem delicto accusatus prætendit moderamen inculpatæ tutelæ, accusator illud negat, neque reus moderamen probat; quæritur, quæ pœna locum habeat?* R. *extraordinaria.*

XLIX. *Verbalis injuria pugno & aliis armis repelli non potest, licitè tamen provocatus verbis contumeliosis, aut convitiis, illa sic retorquet:* Tu mentiris;

L. *Sed, an retorquens habeat adhuc salvam actionem injuriarum, num sit hæc per factam legitimam retorsionem sopita & sublata, varia JCtorum extant Responsa; prater alios Berlich.* in Concl. pract. Part. 5. Concl. 64. num. 40. *refert, JCtos Lipsienses jam dudum in sententiam affirmativam respondisse. Pro Negativâ vero Facult. Juridicam Giess. pronunciasse, testis est Henric. Nebelkre* Decis. 18. *Nos distinctionis fœdere has sententias conciliamus.*

FINIS.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Banniza von Bazan, Johann Peter,

Diss. inaug. iur. Germ. hist. can. publ. de diversarum religionum in eodem territorio tolerantia ac receptione generica & speciali

Wirceburgum 1739

4 Diss. 1542#Beibd.1
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10816324-0
VD18 14818493-001